538 — ꝺ
X — 126

Dipl. o 55/3

Procur.
P. A. R. S. J.
Prof. Can.

SEL

IV

HISTO

T

ANEC

TI

IAM EDITA, S

QVO

TOM

1. Flores ad Historiam Germanicam & Gallicam sparsos, in demonstratione Originis Ludovici Barbati Hassiae Lantgravii, Thuringici Comitis, Carolingico - Francico - Staufensis. Opusculum COLLECTORIS.
2. CHRONICON GENEALOGICVM Nivellense.
3. *Petri* de THYMO Historiarum Excerpta.
4. *Francisci* GUILLIMANNI de vera origine & stemmate Conradi II. Imperatoris Salici Syntagma.

Collegii COMPL

ACCEDIT P

BIBLIOTHECAM HIST

ET VARIAS OBSERVATIONES IVRIDICO

Bambergae OBSTET

HENRICO CHRISTIA

JVRISCONSVLTO ET CON

FRANCOFVRTI

SVMTIBVS JOAN. FRIDER

Prof-

LECTA

RIS

ET

RIARVM.

TUM

CDOTA.

UM

SED RARIORA.

ORVM

VS III.

n 5. IURIDICAS CONSUETUDINES Principatus HASSIÆ Sec. XVI auctoritate publica collectas.
i
, 6. CHRONICON HASSIACUM Amoebaeum ab anno V. C. 477. usque ad an. Chr. 1479. cum notis Juridico-Historicis.
i
7. TRES DECADES DIPLOMATUM ET CHARTARUM HASSIACAS ET VICINAS TERRAS SPECTANTIUM, Monimenta Sec. XII. XIV. XV. pandentes, cum Commentatiunculis & Notis Juridico-Historicis.
&
-

LECTITVR. *Societatis JESU*

PRAEFAMEN.

TORICAM HASSIACAM,

CO-HISTORICAS EXHIBENS, CVM INDICE.

TRICANTE. *Anno 1754.*

ANO SENCKENBERG,

NSILIARIO RHINGRAVICO.

I AD MOENVM,

R. FLEISCHER, CIƆIƆCCXXXV.

. . . Can.

STAATSBIBLIOTHEK
BAMBERG

PRÆLOQUIUM.

§. I.

IN præſens cape Haſſiaca! Ita enim de me merita eſt Haſſia, ut ejus Juribus & Hiſtoriæ Tomum integrum conſecrare potuiſſe, gratæ mentis velim indicium. Formavit certe infantiam meam, adfuit pueritiæ, ornavit adoleſcentiam, tenuitque adeo per annos octodecim. Inde vero ſimul facile odorari eſt, unde mihi Haſſiaca. Neque etiam, quod infra audies, hæc Collectio meam Haſſiacorum penum exhaurit, ſed alia pluſcula reſtant, cum Deo & die prodítura. Dabimus has ſymbolas tum Juri tum præprimis Hiſtoriæ Haſſiacæ, quæ ſi unquam, nunc certe pro dignitate excoletur, poſtquam tot Viris eruditiſſimis, jam à multis annis demandata eſt. Uti vero cum id genus negotiis ita comparatum, ut quisque civium, incolarum, aut cuicunque demum id volupe, pro facul-

facultatibus conferre poſſit, maximi cenſus homo ſummas, pauper vel teruncium, atque nemini parvi cenſus dedecori eſt, vel minima dediſſe; ita nec mihi alienigenae, ſi intra tenuitatem ſubſtitiſſe videbor, id vitio vertetur. Digna ſane eſt, quæ à quovis promoveatur Hiſtoriæ Haſſiacæ cognitio, multam Juri Publico, multam aliis gentibus Sereniſſimis & Illuſtriſſimis lucem ſpondens. Nil magni a quadringentis annis indeusque in Germania noſtra geſtum, cujus Sereniſſimi Haſſiæ Principes pars non exſtiterint: Nulla profecto vel maxima in Germania Domus, cui affinitatibus non fuerint ſintque innexi. Et diu jam hoc ſaxum volvitur, nec tamen longius proceſſum atque ad limen usque, ut novam, quam dixi, Haſſiæ Hiſtoriam exſpectemus. Dabit hanc Vir Clariſſimus *Johannes Hermannus* SCHMINCKE, Conſiliarius & Hiſtoriographus Haſſiacus, erudito orbi notum nomen. Stupuimus hujus Apparatum ante ſexennium in re præſente Caſsellis, & non niſi exaſciata daturum, qui Schminckiana novit, licet hunc nunquam viderit, mecum augurabitur. Neque ulli ſumtui pepercit glorioſæ memoriæ Landgravius CAROLUS,

quo

quo Virum Eruditiſſimum omnibus neceſſariis inſtrueret, quin nec hodiedum hac in re ceſſatur. Non autem minorem ſollicitudinem Sereniſſima Domus Haſſiaco-Darmſtatina adhibuit, dum Winckelmannianarum reliquiarum Glückſtadii tum deliteſcentium, atque in Archivio Upſalienſi aſſervatorum Haſſiacorum cauſa P. R. D. GERDESIUM, nunc verbi divini Miniſtrum Londinenſem, tum Bibliothecarium Darmſtatinum, in Saxoniam inferiorem, imo ipſam Sueciam, iter facere juſſit, poſtmodum etiam, quem dixi, celeberrimo Schminckio obſtetricantes manus præbituros, S. R. LIEBKNECHTUM, Conſultiſſimum ESTOREM & Clariſſ. AYRMANNUM, ex ſua parte adjunxit.. Volutata ab his omnibus cuncta Haſſiæ Archivia, Hiſtoriæ Manu exaratæ, templorum & Monaſteriorum Repoſitoria, Academiarum foruli, aliaque, quorum uſus ſperabatur. Nec viciniæ monimentis aut aliis parſum. Ipſe ego horum conatum teſtis ſum ocularis. Eſt vero magni in Hiſtoria conſcribenda momenti, eruditum eſſe, & ſubſidiis gaudere! Nihil ergo vulgare ſperandum, quilibet ſecum reputabit. In tanta copia, quo quidem

loco hi Viri mea habituri ſint vix novi, non plane tamen illotis manibus ad Hiſtoriam hancce me acceſſiſſe, præviis quibusdam acceſſionibus docebo.

§. 2.

Creditum hactenus Haſſorum plerisque, imo Clar. HARTMANNUS Hiſt. Haſſiac. p. 124. AYRMANNUS Hiſt. Haſſ. p. 254. aliique, WINCKELMANNUM *Heſs. Chron.* p. 300. ſeq. ſecuti, ſatis confidenter de novo aſſeruerunt, Rau-gravios ex Haſſia oriundos, atque à caſtro Boyneburg nomen traxiſſe. Magis autem liberalis in peregrinis Haſſiæ adſcribendis Winckelmannus, Emichonem Epiſcopum Wormatienſem aliosque multos Rugravios, Haſſiæ, indigenatus jure vindicat. Cum tamen ex MORERII nova Editione Baſileenſi, hac voce, ubi multa notatu digniſſima ex Manuſcriptis allata, Conſult. GLAFEY Obſervatione de Rugrafiis T. I. Miſcell. Lipſ. p. 138. ſeqq. TOLNERO in Hiſtoria Palatina inprimis Supplem. p. 110. ſeq. LUNIGII *Reichs-Archiv* variis in locis, P. R. SCHANNATI Hiſtoria Wormacenſi ſub Emichone Epiſcopo, PerIlluſtris Domini *de* GUDENUS Syllogæ Diplomatum inſertis lectu digniſ-

dignissimis chartis, mihi lustratis multis Manuscriptis, & aliunde jam pateat, Rugravios pagi Wormacensis & indigenas & incolas exstitisse, dictosque esse Latino idiomate *Comites Irsutos* sive *Hirsutos*, cum adjectione de *Bouminburc*, *Beinburg*, *Beymburg*; bina castra, alterum *Alden*- alterum *Neuenbeymberg* compellatum, signante. Superant hodienum vici his nominibus insignes, castrisque prædi-ti, haud longe à Moguntia in Palatinatu, quos per *Alden*- & *Neuen-Bamberg* efferunt. Adeo vero his nihil commune cum Hassiaco *Bomeneburg*, (vid. Dn. ESTOR spec. jur. Publ. Hass. p. 31. & Dn. AYRMANN. l. c. p. 250.) ut potius in Diplomate MS. de an. 1141. & alio Christiani Archi-Episcopi Moguntini de an. 1171. *Conradus de Bouminburc* jam occurrat, quo tempore num exstiterit Hassiacum Bomeneburg, plane nescitur. Mature hi in diversas lineas abierunt, quod minimum factum ante an. 1350., poteritque de ea re optime constare ex tabulis, quas hic damus. (*) Confunduntur nonnunquam

(*) Nos *Eberhardus* Abbas, totusque conventus *Monasterii VVissenbergensis* Ordinis

cum Wildgraviis, unde in Hiſtoria Rhingravica de iis copioſius. Hæc vero occaſione nata præcepiſſe, non diſplicebit. Multi alii id genus errores in Hiſtoria Haſſiaca errantur, plurima obſcura ſuperant. Quin nec obſcuritatis novo lumine obeundae exemplum mihi deeſt.

§. 3.

Noſti ex ANALECTORUM HASSIACORUM Tom. VIII. p. 362. 363. 369. 374.

nis Sancti Benedicti recognoſcimus --- quod dudum nobiles viri quondam RUPERTUS, & HENRICUS, Fratres, *Hirſuti Comites*, --- Jus patronatus Eccleſiæ in Weſthoven, quod iidem Comites & eorum prædeceſſores à nobis in feodum obtinebant --- Decano & Capitulo Eccleſiæ Wormatienſis donaverunt --- Nobilibus Viris & Dominis, videlicet: RUPERTO quondam Domini Heinrici Comitis predicti nato, Domino WILHELMO nato quondam GEORGII Comitis de antiquo caſtro Beinburg, ac Domino PHILIPPO, novi caſtri Beinburg, *Comitum Hirſutorum*; nec non CONRADO & HEINRICO, fratribus dictis *de Ripolteskirchen* donationem hujusmodi laudantibus &c. Dat. & Actum Anno Dom. MCCCL. in vigilia Beati Jacobi Apoſtoli.

374. & Dn. AYRMANNI Hiſt. Haſſ. p. 363. multum negotii hactenus in Hiſtoria Haſſiaca faceſſiſſe, qui factum, ut Johannes Lantgravius feuda Imperii ſolus teneret, excluſo fratre Seniore & primi matrimonii Ottone, adeo ut is poſt ejus obitum ea demum nova Inveſtitura acquireret. Sed non adeo hæret aqua! Erat annus 1292. quo feuda Haſſiaca Imperio oblata, adeoque quaſi in ſecundo matrimonio acquiſita cenſebantur, & (vid. charta ap. PerIlluſtr. Dn. DE GUDENUS ſylloge Var. Dipl. p. 598. ſq.) Landgraviatus Haſſiæ inferioris portio fiebant, quem Johannes poſſidebat. Hic prout id nonnunquam in Simultanea Inveſtitura fit, à Rege, non adſcito in conſortium fratre inveſtitus. Unde poſtmodum ab anno obitus ejus 1311. usque ad annum 1323. (quo demum Otto inveſtituram conſecutus) diſceptatum, num dicto Ottoni, num vero Imperio feuda cedere deberent? Pateſcit id ex litteris Inveſtituræ ap. Dn. ESTOR. Spec. 1. Jur. Publ. Haſſ. p. 37. ubi Imperator per verba: *nos ejus ſupplicationibus inclinati*, quæ hic ultra vulgarem ſenſum adſcendere videntur, ſupponit, diu jam de hoc negotio actum fuiſſe.

iſſe. Neque vero credendum eſt, mitius Ottonem habuiſſe Imperium, atque Moguntinus habuit, qui à tempore mortis Landgravii Johannis, ſpeciatim an. 1313. & 1314. non modo bellum cum Lantgravio Ottone ideo geſſit, (vid. Dn. HARTMANN. l. c. p. 128.) ſed & teſtes de diviſione fratrum deponere fecit, (Dn. DE GUDENUS l. c.) tandemque judicio Parium curiæ, feuda Moguntina, ut Jure diviſo â Johanne poſſeſſa, (B. ille amicus olim noſter conjunctiſſimus, cujusque non niſi lugentes recordamur, Dn. JOHANNIS Rer. Mogunt. T. 1. p. 642.) obtinuit, donec tandem transactio ſecuta. Plane gemina, inquam, prætendit Rex & Regnum. Et ſane valde ambigebatur de Jure Landgravii, cum multa docere viderentur, terras pro diviſo poſſeſſas, nec communionem, aut Inveſtituram ſimultaneam ejus indicem, (quæ unica in feudis ſuccedendi ratio, vid. *Prodr. Jur. Feud. App. IV. p.* 146. *ſeqq.* & *epiſtolam ad fratrem* 1735. 6. *Jan. ſcriptam poſtea impreſſam*) conſervatam. Contra hæc Landgravius Otto (ANALECT. HASS. Tom. III. p. 16. Tom. VI. p. 264. ſq.) terras nunquam diviſas, ſed diviſum tantum uſum-

uſumfructum, (*ſie ſeyen nur Vermutſchart*) imò ab Adolpho Rege 1296. non niſi *eine Mutſcharung* inſtitutam (vid. Dn. ESTOR Spec. Jur. Publ. Haſſ. p. 9. Dn. AYRMANN. l. c. p. 260. not. tabulas vero ipſas ANALECT. HASS. P. VIII. p. 374.) allegabat, quin ſe ut fratrem, Inveſtituræ Simultaneæ conſervandæ neceſſitate plane ſolutum fuiſſe, addebat. Et ſi dicendum quod res eſt, nec hic jure deſtituebatur. Novimus enim, feuda pro indiviſis poſſeſſa, interdum ita data, ut tantum poſſeſſor inveſtiretur, reliquis pacto adſcitis, & demum poſt ejus obitum, prout feuda ad ipſos devolvebantur, Inveſtituram recipientibus. (Dn. GLAFEY Anecd. P. 1. p. 102. ſqq. p. 557. ſq. p. 611. ſq.) Adhæc ardua erat quæſtio, an non frater cum germano ipſo Jure in communione ſtet, quam tamen Otto noſter non adeo urſit, prioribus argumentis confiſus. Rebus autem ita ſtantibus, pro deciſione controverſiæ inſpici debebat, quid inter patrem & fratres, quid inter Regem & eos actum fuiſſet, quod certe Ottoni velificabatur. Communione enim per verba *die Teilung und den Mutſcare* aut tacite ſemel à Rege conceſſa, aut inter fra-

tres

tres expreſſe pacta, nil erat de quo timeret Lantgravius Otto. Senties nunc qui factum, ut Johannes ſolus inveſtiretur, ut Inveſtitura Ottonis, à Ludovici IV. partibus licet ſtantis, tamdiu differretur, ut tandem Imperator Inveſtituræ manus daret. Acrius inſtabat Moguntinus, ſed licet Sententia victrice potitus, tamen ad ultimum tranſigere coactus fuit. En tibi rei geſtæ ſeriem, ſimul vero aliqualem probationem ejus, quod de communione & Inveſtitura Simultanea hujus teſte alibi diximus, olim vero curatius, amplius, dicturi ſumus! Non vero poſthac licebit, Henricum Puerum Brabantiæ, Haſſiæ Landgravium, neſcio cujus filiis primi matrimonii factæ injuriæ reum agere, dum Johannem eos clam ab Imperatore fortaſſis inveſtiri fecerit, atque vivus in communionem regiminis receperit.

§. 4.

Et hoc ultimum ſane, qui probari velit, necdum capio, niſi mihi non viſa afferantur. Provocat Dn. HARTMANN (Hiſt. Haſſ. p. 121. ſq.) ad SCHATENIUM, aliorum nonnemo (ANALECT. HASS. p. 377. ſq.) ad varias litteras, queis Emtiones venditiones Henricus, Conjux,

jux, filius Johannes, ſimul celebraſſe dicuntur. Quaſi vero novum ſit in Media Germania, conjuges circa Acquiſita & Acquiſitorum translationes in alios conjunctim agere, quaſi vero ignotum, Parentibus talia gerentibus, non niſi illius, minime vero prioris matrimonii liberos adeſſe vel apponi, (vid. modo SCHILTER J. J. P. Tom. II. p. 91.) aut conſenſus, aut translationis gratia! Et quid ſi daretur, Johannem cum patre in Inferiore Haſſia regnaſſe, nonne idem de Ottone quoad partem ſuperioris aſſerere liceret? Nunquam enim hunc de patre, nebulis nunc diſcuſſis, (*Analect.* Haſſ. P. VIII. p. 373. ſqq.) conqueſtum legimus. Et hæc hactenus. Unde de aſſertorum veritate conſtabit. Eſſent vero id genus obſervationes plurimæ, de quibus alias: Non nullas ſequentibus, præfationis Periodis, & notulis noſtris inſeruimus, fors & aliquas chartas attulimus Hiſtoriographis Haſſiæ inviſas, queis & opellas & collectiones noſtras, lubentes dijudicandas relinquimus.

§. 5.

Ut vero Lector quid in hoc Tomo quærendum ſit uno obtutu diſcat, ſimul vero de nonnullis aliis ſcitu neceſſariis inſtruatur,

tur, ea ordine & ſecundum faſciculos percurremus. Tueris ergo

I. FLORFS AD HISTORIAM GERMANICAM ET GALLICAM SPARSOS, IN DEMONSTRATIONE ORIGINIS LUDOVICI BARBATI HASSIÆ LANTGRAVII THURINGICI COMITIS, CAROLINGICO-FRANCICO-STAUFENSIS, Conſcripſi hoc Opuſculum an. MDCCXXVI. nunc vero revidi & auxi. Continentur eo variæ obſervationes, præcipue ad Hiſtoriam Familiæ Francicæ & Suevicæ Auguſtarum. Nonnulla vero majoris illuſtramenti cauſa, hic recolenda aut addenda ſunt. Principio in genere deprecor, ſi fors in aliquem Clariſſimorum Adverſariorum durior fui. Non id mihi tribuat rogo, ſed fervori diſputandi. Ut vero B. ECCARDUM, Virum utique magnum, & ab omnibus, qui Hiſtoriam Germanicam colunr, poſt cineres laudandum, paulo vehementius adorirer, peculiares cauſæ fuerunt, quas facile capient ii, queis inter bigam Eruditorum magni nominis, quorum alteri ego arcta amicitia junctus ſum, ſupradicto anno orta ſatis acerba bella Diplomatica, in memoriam recurrunt. Non enim potui non amici vicem ægre ferre, & inimicitias ejus, vel proprio nomine ſuſcipere. Refinxiſſem in-

integrum caput, si spatium fuisset in promptu; interim vel sic Viri summi manibus placatis utar.

§. 6.

Ad p. 35. moneo, neminem mihi ideo dicam scribere posse, quod Burgundiones & Campanos Galliæ regno accensui. Novi profecto haud minimam hodiernæ Burgundiæ partem Regno Burgundico novo sive Arelatensi paruisse, multo minus me fugere queunt Jura regni Germanici in Burgundiam & Campaniam, Regibus propriis in Burgundia nova deficientibus, exercita. Veruntamen dabantur & Burgundi Galliæ sive Franciæ Occidentali (si ita vis) accensiti, nec negari potest, Burgundos & Campanos, sequioribus temporibus, & scena mutata, tam Germaniam quam Galliam, ut Lotharingi & alii plerique limitanei, adorasse. Docebunt id TE BLONDELLI & CHIFFLETII de Lotharingia & Barro certamina, inprimis vero caute legendus FEBVRE *dans sa quéstion Historique si les provinces de l'ancien Royaume de Lorraine doivent estre appellées terres de l'Empire, à Paris* 1644. 8. necnon dans ses *Considerations Historiques sur la Genealogie de la Maison*

de Lorraine à Paris 1642. 8. & diversis in locis libri sui *de fiefs*, ubi exempla agnitæ Majestatis tam unius quam alterius regni, intuitu Campaniæ, Codex Diplomaticus subjunctus sistit. Non ergo est quod scrupulum moveat. Certe loca in Notis adducta, quod restaret dubietatis, plane exemtura essent. p. 48. sqq. de Ludovici origine Aurelianensi & Arelatensi mihi sermo habetur, quarum utramque fictitiam censui; monuit vero postmodum VIR QUIDAM ERUDITISSIMUS, se perlectis quæ ad manus fuerint Francicis Burgundicisve monumentis, Ludovicum nostrum conciliatis diversis mentibus ab Aurelianensibus & Arelatensibus parentibus, eo modo deducturum, ut singulis, vitæ suæ minimum decenniis, in fide digno quodam monimento compareat. Id vero si fiat, ego lubens herbam porrigam. p. 86. & 92. de Eberhardo Judæorum Protectore sermonem miscui, eumque Comitem Palatinum existimavi. Sed re curatius perpensa *Camerarium* regium crederem, & quidem Camerariorum regiorum Præsidem. Principes enim, qui ad Imperialis curiæ mores suas curias solerter adornabant, Judæos Camerariis suis commi-

misisse lego. De Barone Dalbergio, Camerario Episcopatus Wormatiensis hereditario id notissimum est, cum ei hodieque Wormatiæ Judæi certo modo subsint. Moguntiæ olim Camerarii non diversum Jus, quod ex MSSCC. probatu esset facile. Nec Misnia ab hoc more abiit, uti Ordinatio Judaica de an. 1265. apud STRUV. *Hist. Pol. Arch. P. V. p.* 309. indicio est. Sed & alia huc urgent. Camerario incumbebat ærario & vectigalibus providere, mercatorum curam agere, & aliis id genus invigilare; Judæi vero omnes vectigalium conductores & Mercatores, exceptis paucis qui Medici. Vid. ALTESERRA ad Gregor. Turonens. L. VI. c. 5. p. 222. sq. Non me fugit, longe ab his remotis temporibus, Archi-Cancellario Germaniæ Moguntino Judæorum protectionem concreditam (SPEC. SUEV. c. 14. & *meus de Juribus ac privilegiis dotium illatorumque* brevi recudendus *Tractatus* p. 65.) hac fini videlicet, ut Judæorum vitæ ac bonis insidiantes, quos ne Imperatores quidem ipsi seculari gladio cohibere poterant, auctoritate Ecclesiastica coërceret; neque etiam me præterit, ideo Moguntinum 1410. decimam partem

omnium à Judæis redeuntium (Dom. WENCKER App. Arch. p. 290.) ſibi adſcripſiſſe, ſed id nihil ad mihi conſideranda tempora longe antiquiora. Imo magnus ille Germaniæ & meus Doctor B. GUNDLINGIUS jam demonſtravit, multa ſibi Moguntinum poſtmodum vindicaſſe, quæ olim aliis Imperii officiis expedienda relinquebantur. Hactenus de Eberhardo! p. 98. Vocem Conſiliarii eo quo Conradus Guelphicus florebat ævo tantum conſilium ſuppeditantem notaſſe probavi. Hic vero adiicio, hodieque Gallis, in multis Barbari Latini ſermonis fidiſſimis Interpretibus, vocem *Conſeiller* hoc ſenſu venire, ut niſi aliæ Circumſtantiæ in divorſum agant, non officii, ſed cujuscumque aliquid conſulentis, index habeatur. (Voyez le Dictionaire de RICHELET h. v.) p. 146. ultimas Comitum Sylveſtrium Origines ad Familiam Auguſtam Francicam retuli. Ea ipſa enim loca hic Ottoni Duci ſubjecta fuiſſe referuntur, ad quæ usque terræ Wildgravicæ olim protenſæ fuerunt, atque ex parte adhuc ſunt. Pagus certe Nahgowe ejusque partes Sylveſtres ab omni tempore eorum ſedes, & ad Comitatum ſpectarunt. Grande profecto

fecto hoc Comitum genus, cui ſui ab omni ævo officiales, quodque cum Sponheimenſibus potentiſſimis Comitibus non pari modo ambulavit paſſu, ſed etiam in non paucis iis prælatum eſt. Poſſedit adhæc bona ingentia in Lotharingia, multas Advocatias, feuda S. Maximini, aliaque quibus olim gaviſam legimus Familiam Auguſtam Francicam, ſed quo devenerint, usque huc neſcivimus. Inde vero alterum pro origine indaganda argumentum. Poteſt certe Ottoni Duci Wormacenſi filius adhuc ignotus fuiſſe, cui illa adſcribenda ſit, cuique hæc bona ceſſerint. Quin inde plane nata videtur de Ottone Wildgraviorum Satore, quem antiquitatis ignari falſo Wittelsbachium dicebant, traditio, hoc pacto nonnihil è vero trahens. Interim nulli conjecturas meas obtrudo, de quibus in HISTORIA WILD- ET RHINGRAVICA, bellica tempeſtate usque huc repreſſa, Deo largiente, agetur. Id vero per transennam hic monendum, à tanto tempore indeusque, maximam partem horum bonorum, variis caſibus in exteras deveniſſe manus, de quo & ipſo ſuo loco latius. Ad p. 149. noto, quæ illic contra VIRUM RERUM

PATRIARUM GNARUM IN PAUCIS diſputantur, non eo accipienda eſſe, acſi Juribus Sereniſſimæ Domus Haſſiacæ in Wetflariam aliquid detrahere conarer. Non is ego ſum, qui rerum me non concernentium arbitrium mihi ſumere audeam; Id tantum dico, argumentum, de quo mihi ſermo, non ſatis aptum eſſe. In Juribus certe tam antiquis, atque Haſſiaca ante Pacta Naſſoica & poſtmodum ultra illa exercita ſunt, tutiſſima probandi ratio à quieta poſſeſſione, inde enim juſtitiæ, ſecundum Juris-Conſultos, præſumtio. Reliqua dant Antiquitatis Germanicæ Analogia, hoc eſt, Exempla pactorum ejusmodi inter Vicinos inæquales plerumque iniri ſolitorum, temporis antiquitas & lapſus, denique alia non omnibus nota Exceptio, vel ſi mavis Replicatio, de qua olim integra Commentatione agemus. Sed tabulis Genearchicis, iisque dubiis, templorum excitatione, aliisque id genus, res non conſiſt. Interim vel ſic hujus farinæ conjecturæ, ingenii laudem merentur.

§. 7.

P. 167. ſeqq. contra Monachum Weingartenſem & eos, qui hac auctoritate præ-

cipue

cipue moti, liberis Dominis præ Comitibus olim eximii Juris aliquid fuiſſe adſtruunt, diſputavi. Occaſione vero affulgente, regi ſervire honoris loco habitum, aſſerui. Hi nomine & reſpectu regis ſervi, revera & reſpectu aliorum Domini erant. Eo modo *Servi Regis* in ſacris litteris primi ejus Miniſtri. Suo enim modo miniſterium, vaſallagium, ſervitus erat; ſuo modo *Senior* verus, nec vocis tantum ſono Dominus; *in Epiſtola ad fratrem de Prodromo Juris feudalis*, docuimus. Nec minus tamen etiam dignitas, tanto enim quis honoratior, quanto potentiori vel digniori ſervit. Imo non ſemper facilis ad Regis aut primarum regni Eccleſiarum ſervitium acceſſus. Multo ſudore Comitatus & majores dignitates paratæ, quin ab ipſis divitibus, queis beneficia Regia Καϑ' ἐξοχὴν & minoris abollæ ne expetita quidem, aut plane rejecta. Hæc autem penſitanti mihi, alia ſimul verborum Monachi explicatio ſubnata. In expedito eſt inter omnes, AUGUSTISSIMÆ GENTIS GUELPHICÆ, de quibus illic ſermones miſcentur ſatores, poſſeſſionibus, latifundiis, Juriſdictionibus, Advocatiis opimis floruiſſe, ut nullis in

Germania liberis Dominis, jam eo ævo concederent. Nec de hoc ulla dubietas, non nisi pauperes liberos beneficia Regia minora, quibus non annexa militum gubernatio & jusisdictio, ambivisse; certe si dubitares, Galliæ suæ insignis ille Antiquitatis ruspator *Ludovicus Cantarellus* FABER des Fiefs Liv. II. chap. 4. p. 112. sqq. ch. 5. p. 121. sqq. & Liv. III. chap. 3. p. 155. sqq. *ou il est traité du pauvre livre*, de veritate hujus theseos instructurus esset. Detur ergo Ethiconi Guelfo filius Henricus, detur ab Imperatore contra patris ditissimi & splendidissimi voluntatem beneficio ornatus, id certe vel sic male eum habere debuit. Concessisset vero Comitatum, huic servitio se addixisset filius, non iniquo usurus fuisset patre Ethicone. Neque enim sub verbo servitutis καθ' ἐξοχὴν regni dignitates comprehensæ, quod alibi probabo, utut summi Regis Ministri, in illa Germanicæ linguæ paupertate, haud secus ac minimi Valvasores, imo plane servitia debentes rustici, *Leodes* dicti. Nullatenus profecto pauperculæ olim huic linguæ statim eadem res, ubi nominis identitas. Imo nec hodie fere alio modo proceditur, tamen Digni-

gnitati à nomine labes nulla. Modo ergo origines Trojanas exſibiles, modica mihi cum Monacho lis, & per me licet, Ethiconi Henricus filius adſcribatur. Cæterum quæ illic, diſputationis ordine ita ferente, de feudorum ab æquali ſuſceptione in media Germania honori obeſſe judicata ſtrictim expoſui, adeo firmo ſtant talo, ut adhuc Seculo XIV. Baroni de Lantſtein, qui ab æquali Czenkone de Lipa feudum ſibi dari paſſus fuerat, non ſufficeret beneficii in manus Domini reſignatio, potius reſtitutione regia in priſtinum ſtatum ſe indigere crederet. Exhibet hoc monimentum Codex ille eximius Carolinus à Domino GLAFEY Anecdot. Tom. I. nuper admodum emiſſus p. 417. ſq. quod me certe in admirationem rapuit, à Seculo XII. & XIII. indeusque jam invaluiſſe ſcientem, ut Dominorum liberorum alter alteri feuda concedat. (Add. *Prodromum Jur. feud.* p. 120. p. 137. ſq.)

§. 8.

P. 167. de pari Comitum & Dominorum dignatione aliquid propoſui, atque à Seculo XV. indeusque Comites Dominis antelatos oſtendi, ad Selecta mea TE remittens. Explicatu vero eget hic locus.

Scilicet in ea fui ſententia, ut non ante Seculum XV. conſtantem Dominorum poſt Comites collocationem exiſtimarem. Scio Wetteraviæ patriæ meæ Illuſtratorem Dn. BERNHARDUM, in præclaro Antiquitatum Wetteravicarum Opere P. I. p. 213. ſqq. à Caroli IV. ævo Comitibus prælationem conſtanter contigiſſe aſſerere, imprimis vero pro theſi ſua, promotiones Dominorum de Falckenſtein in Comites afferre. Ego tamen nihilominus mihi rationem conſtare arbitrabar, qua contraniti queirem. Docere enim poteram, usque ad Seculum XV. quemque hactenus ſuo ſenſu abundaſſe, & maximam Germaniæ partem, Dominos non ſequiore loco, ſed pari exiſtimaſſe, in Cæſareis vero Ludovici IV. imo anteriorum etiam Regum & Imperatorum Diplomatis ideo Comites prælatos, quia bina verba ſimul poni non poterant, adeoque alterum poſtponi neceſſum erat. Inde vero nata videbatur à Domino Bernhardo adducta diverſitas in Curiæ ſtylo, ut nonnunquam Domini etiam Comitibus vice verſa præponerentur, id quod adhuc an. 1400. factum ex MSC. noveram. Potius ergo videbatur Exemplum in ſelectis prolatum. Nunc vero

ſen-

ſententia mutanda, & fatendum quod res eſt, nec Seculo XV. frequentatas promotiones in Comites, nec ea quæ ex Selectorum Tom. II. attuli ſatis probare, vel Seculo XV. Comitibus Dominos ulla in re conceſſiſſe. Nulla certe diſtinctio in titulis, qua omnino opus fuiſſet. Vt Comitum, ita & Dominorum elogia, ipſo Seculo XV. crevere & ſurſum tenderunt. Compellati Comites *Woilgeborn*, cum antea æque ac Barones *Edel* dicerentur; illud ipſum vero & liberis Dominis contigit. Teſtem do exceptione majorem, diu in Imperiali, diu in Principum Curiis, eo quo vivebat ævo verſatum *Fridericum* RIEDERERUM *im Spiegel der vvahren Rhetoric* impreſſo *Friburg im Breiſsgau* 1490. fol. ubi p. 82. a. adhuc eo tempore Comites & Barones verbo *Woilgeborn* promiſcue uſos teſtatur, nonnullos Barones *Woilgeborn und Edel* compellare velle, quia minoris dignationis exiſtiment adjiciens, queis tamen non accedit. Seculo ergo XVI. demum, cum omnibus paulo potentioribus Dominis jam in Comitum ordinem transſcriptis, illorum cauſam nemo fere ageret, his aliquid accrevit, unde circa finem dicti Seculi XVI.

ne-

nemine contradicente ad titulum *Hoch-Wohlgebohrn* tranſierunt, ſupra notatum *derer Wohlgebohrnen*, Dominis relinquentes. Ab hoc certe tempore alia rerum facies. Sed in viam! ſufficit Comites Dominis nunquam poſthabitos, quod olim contra Dominum Bernhardum aliosve invictis rationibus oſtendemus.

§. 9.

P. 170. de Haſſiæ Dynaſtia in Ludovicum Barbatum translata conjicitur. Certe hæc Ludovici noſtri rebus maximum pondus addidit. Sed contra ſtantem invenio Clar. AYRMANNUM Introd. ad Hiſt. Haſſ. p. 178. in nonnullis tamen mecum, præcipue intuitu B. Eccardi concordem. Quæ ego urſerim, l. c. videri poſſunt. Obmovet V. C. ſe nihil hac de re expreſſe dictum invenire. Fateor; ſi de antiquioribus loquamur. Legitur tamen id apud LANGIUM, non omni fide carentem. Imo me judice omnia, quæ Barbati ævo de Landgraviatu Thuringiæ aut Vicedominatu antiquioribus afferuntur, de Haſſia capienda. Certe cum paulo poſt Ludovici III. fata, Thuringiæ crebrior mentio, nomen Haſſiæ deſuetudine quadam inumbraverit, non adeo culpandi Seculi

XIV.

XIV. & XV. ſcriptores, ſi Thuringiam ab Haſſia unquam ante Henrici Pueri ævum ſeparatas rationes habuiſſe neſcientes, de Lantgraviatu in Ludovicum translato occurrentia, non niſi de Thuringia accipere noverunt. Antiquitatis enim omnis, maxime olitanæ in pagos diviſionis eos maxime rudes fuiſſe, non à me prima vice monetur. His ergo iqſis vel neſcientibus, Ludovicus noſter Barbatus Haſſiæ Lantgravius narratur! Eo certe nomine Ludovicus & poſteri Sereniſſimi & Clariſſimi Principes. Ab initio quidem Haſſia in Ludovicum non collata, ſed poſtmodum cum aliquamdiu Thuringiam coluiſſet. At id nihil ad rem. Neque vereor, Haſſiam, uti mihi uſuvenit, jamtum Lantgraviam dicere, quod iterum negat V. Cl. p. 206. ſqq. Cum enim ſeparatum pagum eam conſtituiſſe det, non poterit ſalva Antiquitatis Germanicæ Analogia Judicium provinciale ei negare. Producerem nubem teſtium theſin meam adſtruentium, inprimis B. HERTIUM & *Cantarellum* FABRUM, ni ludibrium Erudito orbi me debiturum exiſtimarem, ſolem facibus illuſtraturus. Legimus profecto Haſſiæ Comeciam *das Lantgericht*

in

in Diplomate Moguntino apud Dn. ESTOREM & IPSUM p. 236. Judex vero in Comecia pagenſi præſidens, quid aliud eſt quam Lantgravius ævi medii ſtylo? Antiquum vero jam Moguntinum feodum illa Comecia, cujus ſedes prima Francoberga, pagi Haſſiaci tum caput, altera Alsfeldia, tertia Grunenberg, ut ex Monimentis conſtare arbitror. Sed non uſi ſunt elogio Lantgraviorum primi illi Comites? Nullus ambigo, at de nomine nulla lis, & plures id genus deprehendimus. Sufficit ſi inde tanta Lantgraviis potentia, ut Sereniſſimos inter Principes referrentur. Non novum erat Comitibus inter Principes cenſeri, (Dn. PISTORIUS *von denen Graffen des Heil. Röm. Reichs* P. III. p. 249. & Dn. BERNHARD. Ant. Wett. p. 201.) ſed Sereniſſimos ad Principes referri, eſt aliquid non niſi potentioribus datum, hocque ipſo Principes æquantibus. Confugit Vir Cl. hic ad monachorum adulationem, ne Veritati aſſurgere cogatur. Sed oſtendat ſodes! vel unicum locum, ubi (non Monachi ſimplices, ſed) Principes Epiſcopi inferiores parili honore affecerunt. Sane his non idem cum Monachis curiæ ſtylus!

Pergo

§. 10.

Pergo in hac diſputatione & ad p. 173. delatus me erraſſe profiteor, dum Reverendiſſimo Moguntino Archi-Epiſcopo omnia abrogavi. Conſtat, & latius perſequitur B. HAHNIUS *Reichs-Hiſt.* Tom. II. p. 263. not. Vicedomini elogium Ludovico noſtro indignum eſſe. Attamen Moguntino aliquid debebit, nimirum illam ipſam *Comeciam Haſſiæ* & alia, quæ poſteri ejus Sereniſſimi conſtanter tenuerunt, atque à Moguntino recognoverunt. Adminiſtraverat Comeciam ipſe Conradus Rex antequam ad id faſtigium perveniret, id quod p. 67. ſuſpicabat, atque ab Imperio, quod multa imo omnia credere ſinunt in beneficio tenuerat, ad regnum vero promotus, Moguntino cum terrarum Haſſiacarum portione curandam dederat, à quo, ut & dicto Moguntino nonnihil hactenus placeret, Ludovicum commiſſa, magnam partem in feudum petere juſſit. En vero tibi pro Haſſia Ludovico per Conradum donata argumentum multis exceptionibus, ſi non omnibus majus! Fuit enim poſterorum ejus Haſſia, fuit ejus Comecia ſub nexu feudali Moguntino, cui inſignis terræ tractus prærer-

ea

ea ſubjectus, quæ, quo pacto, cum Haſſia Thuringiæ minimum ante Ludovicum III. nunquam ſubjecta ad eos pervenerit, parum conſtat, niſi tum contigerit, ubi ſcriptores antiquiſſimi Ludovicum Vicedominatu in Thuringia, dum de Haſſia aliquid huc appropinquans dicere debebant, à Moguntino donatum, uno ore adſerunt. Conſtat ergo his ſua auctoritas, penitiorem vero Juris Publici & Hiſtoriarum cognitionem, ab iis credo vix requires. Sufficit, & ſub involucris ſiſti veritatem! Inde vero Ludovico, ut nunc finiam, ingens dignatio, quin & ſummo jure Sereniſſimi Principis titulus, cum vel ex Eruditiſſimi verè PALIGNESII ſive DOMINI DE SPANIGEL Monitis Genealogicis p. 359. ſqq. ſcias, magnos Comites interdum Ducibus prælatos, tam longe abeſt, ut Sereniſſimorum elogia reſpuerint. Tantum vero pro Haſſia & Ludovico! Cæterum quid in hoc, de quo agimus, meo opuſculo Juri & Hiſtoriæ patriæ communi profuerim, alii arbitrabuntur; tam multæ certe ſunt obſervationes plane novæ, ut ſi non omnino diſplicuerint rerum gnaris, quadantenus editionem meruiſſe videatur. Dedi in illo operam,

ut

ut dicta aliis non recolam, præcipue autem cum Historiæ patriæ promo condo KOELERO ambulo, tum quia tantum virum sequi volupe, tum quia solida rerum cognitione à nemine superatur. Non ego nisi Sicilimenta & Flores sparsos hic quæres, quod denuo monendum erat.

§. 11.

Fasc. II. ET III. MONUMENTORUM FLORES AD HISTORIAM GERMANICAM ET GALLICAM ILLUSTRANTIUM BIGAM, 1. CHRONICON GENEALOGICUM NIVELLENSE, 2. PETRI DE THYMO HISTORIARUM EXCERPTA, inserui. Ediderat illa, qui nec Medicos ab Historici officio excludendos magno exemplo docuit, *Johannes Jacobus* CHIFFLETIUS, Medicus Vesontinus, Consiliarius postmodum & Archiater Regius, subnexa libro quem *le faux Childebrand relegué aux fables* inscripsit, & 1659. absque loci notatione (Antwerpiæ) in 4. edidit. Obvenit vero mihi Manuscriptus Codicillus in nonnullis diversus; unde cum paucorum foliorum sint, Serenissimorum Hassiæ Principum progenitores concernant, atque non nisi in libro rarissimo deprehendantur, præterea vero mihi prolata in nonnullis firment, haud incongruum pu-

tavi, eos quasi ab inferis revocare. Duriores vero atque par est in Reges Galliæ cum videas, facile senties, & hanc non ultimam causam fuisse, cur à jurato Galliæ adversario Chiffletio ederentur. Ridebis mecum has privatis non convenientes iras, queis Auctores tutius abstinuissent, & veritates tantum Historicas considerabis. Cujus denique ætatis censendi, inspectio docebit. Prior videtur Seculi XIII. posterior Seculo XV. absque ullo dubio adscribendus, id quod in fine libelli notatum cernimus. Nugas multas continere nescio an dici mereatur, cum omnibus hoc genus libellis, in Medio ævo conscriptis, id commune hæreat vitium.

§. 12.

IV. FRANCISCI GUILLIMANNI DE VERA ORIGINE ET STEMMATE CUNRADI II. IMP. SALICI SYNTAGMA. Copiam libelli hujus rarissimi Vir Clar. *Johannes Davides* KOELERUS, summæ tum eruditionis tum humanitatis ante annos nobis fecit, cui adeo hujus editionis honos debetur. Prodierat non nisi semel (minime Mediolani, quod Doctor olim meus B. Gundlingius, in Aventinum & Guillimanni Helvetica

præ-

præfans ſibi perſuaſerat, ſed) Friburgi Brisgoiæ apud Johannem Straſſerum 1609. 4. Laudes vero olim cum non communis omnium uſus eſſet inſignes tulit, atque fors merito majores. B. inprimis Gundlingius, loco quo dixi, omnibus ferme eruditis ſalivam movit. Certe lectu dignus, non tamen omne punctum tuliſſe dicendus, quod inſpectio, & deductio Genealogica Conradi II. ab Ottone M. per Liutulfum ejus filium, dabit. Ferri tamen poteſt, quousque Hiſtoricum agit, quamprimum ad Jus accedit, quamprimum ad Antiquitates Feudales, aut alia id genus delabitur, jam habe tibi res tuas, & vale Guillimanne! Cum vero calamo paulo feſtinantiore memoriæ lapſum procurante in *Prodromo Jur. Feud. p.* 6. & p. 33. Conſtitutionem illam notiſſimam *de Expeditione Romana* à noſtro editam in hoc opuſculo atque Commentario illuſtratam dixerim, notandus eſt hic error, quem cum aliis ſecundæ curæ expungent. Redeo ad thema meum! De vita auctoris parum conſcriptum; etenim Vitarum Eruditorum ſcriptores eum alii plane obmiſerunt, alii tantum nominetenus tetigerunt. Gundlingio in memorato præfa-

mine de eo agenti, plurima debet. Nec eſt ferme quod adjiciam. Hoc novi, extitiſſe eum in Comitatu Alphonſi Caſari Legati Hiſpanici. *Helvet. III.* 14. 3. circa a. MDCV. Lucernæ verſatum. *Epiſt. ad Goldaſt. CV.* MDCVI. MDCVII. MDCVIII. Friburgi Brisgoiæ ſedem & munus publice profitendi nactum, *Epiſt. ad Goldaſt. CXLIII. & aliæ ſequentes.* Circa an. MDCIX. Conſiliarii & Hiſtoriographi Cæſarei & Auſtriaci ſparta auctum. *Epiſt. ad Goldaſt. CCLXXXVIII.* tandem vero circa an. MDCXII. morte ſolutum fuiſſe. Baſileæ tamen ex amici relatione accepi, famam ferre, à ruſticis Helvetiis, quos verbis læſerit, vapulando neci datum, quod auctoribus relinquo. Scripta erudito orbi reliquit varia, (1.) *De rebus Helvetiorum Libros X.* Friburgi 1598. 4. Amiterni 1627. 4. maj. & demum Lipſ. 1710. fol. cum Aventini Annalibus Bojorum editore B. GUNDLINGIO. In præſens vero Erudita Helvetiorum ſocietas in numero Scriptorum gentis ei locum dare decrevit, quam Editionem, cujus nonnihil Baſileæ vidimus, avide exſpectamus. Notandum vero, auctori hunc foetum poſtmodum diſplicuiſſe, multa-

que

que eum circa Helvetica obelo corripienda invenisse, inprimis vero *Epist. ad Goldast. CXLIII.* multis argumentis docere annisum, ea quæ ipse alios secutus de Guilielmo Tellio narraverat, inter fabulas rejicienda venire. Denuo tamen prodire tenus & librum suum corrigere est veritus, Helvetiorum iras causæ loco afferens; quæ etiam *Helvetica*, more & stylo Lucii Flori à Viro scripta, æternis tenebris damnarunt. *Epist. ad Goldast. p.* 210. (2) *Habsburgiaca* sive de antiqua & vera origine Domus Austriæ, vita & rebus gestis Comitum Vindonissensium sive Altenburgensium inprimis Habsburgiorum Libros VII. Mediolani 1605. 4. nitidissime emissos, Ratisbonæ vero 1696. eadem forma repetitos. Statuerat auctor hunc fœtum auctiorem extrudere, quinimo 1607. affectos se habere X. Libros Goldasto refert *Epist. ad eum CXLIII.* postmodum Helvetios labores suos lividis oculis spectare *Epist. CLXXIII.* adjicit, sed re non perfecta decessit. Nec quisquam ubi hoc opus lateret scivit, donec R. P. STEYERER præfat. Comment. pro Historia Alberti II. Ducis Austtiæ b. 2. b. & c. 1. a. Codicem MSCtum Oeniponto apud heredes

Thanhauſerianos adſervari, & ſequentem ejus titulum retulit: *De Principum Habſpurgi-Auſtriacorum vita, moribus, rebus geſtis, conjugiis, liberis, ac variis Dominiis acquiſitis opus abſolutum, in duos Tomos diviſum, quorum primus à Nobili, Clariſſimo, doctiſſimoque Viro Franciſco Guilimano S. C. M. Conſiliario & Hiſtoriographo inchoatus, & majori ex parte ſummo ſtudio & labore congeſtus, ipſo vero præmatura morte è vivis abrepto, à Reverendo, Nobili, Clariſſimoque Viro, Joanne Paulo Windeckio SS. Theologiæ Doctore, & in alma Univerſitate Friburgenſi Profeſſore Ordinario, cui hoc in mandatis datum erat, multis in locis non ſine haud exiguo & vigilanti labore auctus, completus, in hanc formam redactus eſt anno Chriſti MDCXVII.* ſuccedit ulterior libri deſcriptio: *Tomus I. dividitur in libros XXI. & librorum quilibet in capita complura. Narratio incipit à primis Auſtriæ Præfectis, Marchionibus, Ducibus, & deſinit in Sigismundo Archi-Duce Auſtriæ, Comite Tyrolis, qui obiit MCCCCXCVI. Tomum II. Auctor partitus eſt in partes V. has in libros decem,* quibus

quibus explicat geſta Maximiliani I. Cæſaris & ſequentium Principum Auſtriæ ad annum usque MDCXVII. Inde ſubjungit varios Commentarios de Genealogia Auſtriaca, & domus hujus Jure in plures provincias ac earum poſſeſſione. (3) *De Epiſcopis Argentinenſibus* Opus. Friburgi 1608. 4. In gratiam Leopoldi Auſtriæ Archiducis illud ſcripſerat. *Epiſt. ad Goldaſt. CCXXIII.* Laudatur vero à multis, plerumque inviſum; mihi & viſum & lectum non usquequaque arridet, quæ mens itidem SCHILTERO fuit. Dicuntur alicubi exſtare pleniores ejus Alſaticorum libri, quod quam ex vero fiat, ſcio cum aliis. (4) Editorum habe ſupra tactum *de origine Conradi Salici* ſcriptum, cujus auctor mentionem injicit *Epiſtol. ad Goldaſtum* 288. Fuit vero ante meam editionem adeo magnæ raritatis, ut plurimis, etiam magnis viris, non niſi nomine noſceretur. (5) *Antonii* CERVERA *Turriani* Capellani Reg. Ord. Calat. de felici exceſſu Philippi II. Auſtriaci, Hiſpaniarum Regis Libri III. ſive de rebus memorabilibus, quæ in ejus morte acciderunt, teſtimonium authenticum: quod ex Hiſpanico ſermone in latinum convertit Franciſcus Guillimannus

nus, mandato Reverendiſſimi & Sereniſſimi ArchiDucis Maximiliani, Teutonici Ordinis Principis. Friburgi Brisgoiæ MDCIX. 4. (6) Franciſci Guillimanni *Poëma Aliquid dictum* exſtat in MOLNAR. Luſibus Poëticis variorum authorum & *Caſparis* DORNAVII amphitheatro ſapientiæ Joco-ſeriæ. Hucusque edita! Anecdota vero ſunt (7) *Itinerarium*, cujus ipſe Index *Helvet. III.* 13. 2. (8) *Apoſtolica*, multis probata, numeris Pindaricis. *Epiſt. ad Goldaſt.* 173. (9) *Scriptores Rerum Germanicarum* à Carolo M. ad Rudolphum I. *Epiſt. ad Goldaſt.* 288. (10) *Veteres Leges Germanicæ*, quas editurus erat. *Ep. ad Gold.* 157. (11) *Scriptores Strategici. Ib. Ep.* 173. Tantum vero de Guillimanno, quod fortaſſis Lectoribus non ingratum accidet, cum nemo de eo plura coëgerit. Nunc ave & tu Guillimanne! Tranſeo hinc ad

§. 13.

V. CONSUETUDINES ET OBSERVANTIAS JURIDICAS CIRCA SUCCESSIONES ET RETRACTUM IN HASSIA RECEPTAS ET AUCTORITATE PUBLICA COLLECTAS SECULO XVI. FINIENTE. Soliciti ſumus Germani, nec ſine cauſa, de

Jure

Jure patrio ab inferis quaſi revocando, quo peregrinum Jus illud detruſit. Et non ſine ratione curas noſtras eo convertimus, eum omni licet data opera non everti potuerint mores patrii, ſed JurisConſultis ſufficere debuerit, Jus Rom. commune, & ſupplementum Legum conſuetudinumque patriarum reddidiſſe, ſalva illarum ſubſtantia. Inde vero mira & miſera Brocardica, de reſtrictione, abſurditate, & neſcio quo non vitio Juris Germanici. Hinc iis quæ ex Jure patrio unice haurienda, ex Romano, quod id generis negotia, Romæ nunquam tempore Romani Juris quo utimur, viſa, plane ignorabat, Gloſſemata addita, quæ Judicem ſæpiuſcule in devia agunt, ſi veros ignoret fontes. Nunquam certe ſine his fontibus operæ pretium faciet. Deprehendis, verum eſt, varias te erudientes lacinias in Ordinationibus Provincialibus, ſed cum hæ à JurisConſultis glebæ ſuæ adſcriptis plerumque ad Jus Romanum magis quam mores patrios formatæ ſint, & ipſe diſpoſitiones nonnunquam, ni plura præſupponas intelligi nequeant, magni certe uſus ſunt, nudæ Conſuetudinum hujus aut illius provinciæ conſignationes, aut publica aut privata induſtria confectæ. Si hactenus hæſites ad rem

præſentem provoco, & ex *Conſultationibus Saxonicis*, nonnihil commune, cum iis quæ dixi habentibus, plus antiqui patrii Juris te hauſurum ſpondeo, atque ex integris Conſtitutionibus. Adde, de quibus antea Conſignationes, ea continere, quæ moribus utentium, ultra Jus ſcriptum ſtatutarium adjecta, adhæc quid olim in uſu fuerit, commonſtrare. Naturam enim furca expellas, ſemper usque recurret, nec unquam diu inoliti mores, plane exuuntur. Dedi olim hujus rei exemplum Imperium noſtrum Germanicum; (*Diſſert. de forma ſyſtematis Germaniæ habita* Gieſſæ 1724. p. 12.) quod accidit in mari Aegæo certa ratione etiam accidit in Scamandro. Experientia in his Magiſtra. Si Germanicum antiquum Jus, quale in Capitularibus & Speculis continetur imbiberis, ſi mores patriæ hodiernos præſuppoſueris, majores adhuc longe fructus percipies, atque ii, qui de hodiernis explicandis tantum levi brachio ſoliciti ſunt. Sed non omnia omnibus! Sufficit quemvis non ſine fructu diſceſſurum. Cum ergò ſe mihi offerrent *Extractus der Statt und Landsgebræuch im Oberfürſtenthum Heſſen, die Erb- und Anfälle zvviſchen zvvey Ehgemächten, vvie auch*

auch den Näherkauff betreffend, dignissimos editione censui. Successio conjugum & Retractus vere sunt Jura Germanica, & quicquid nonnulli dicant, eo modo quo apud nos, nunquam Romæ audita. De iis ergo statuta qui melius explicabuntur quam interpretatione eorum, quorum parentum memoria, hoc quicquid est Juris, ad nos transmisit? Longe majoris usus hic erit rusticus, è Scabinorum ab antiquo ferace familia prognatus, quam Tribonianus cum toto Juris corpore, eruditurus te in meri Juris Germanici capitibus ad stuporem, nunquam ad sapientiam. Habes vero hic relationes Magistratuum de rebus cujusque loci ad Superiores suos, Juri Provinciali conficiendo subservituras, queis ideo eo major fides. Videntur nonnullæ præcessisse, quas vero inspicere non contigit. Desunt etiam adjuncta, quod præcipue dolemus. Queis ad Archivia Hassiaca accessus, iis plura dare licebit. Agunt autem mea p. 271. de successione conjugum (1.) improlium ordinaria, *vvann sie ohne Geding* (scilicet constitutione dotis) *zusammen kommen*; in illatis, ubi pro more regionum partim inter bona avita & acquisita, antiquo Germanico more distinguitur, partim hæc distinctio

non

non amplius curatur. Ubique tamen ſuccedit conjunx, pinguius, tenuius. Pars plane ſucceſſionem in omnibus bonis absque liberis defuncti, ob communionem admittunt. pag. 273. ſqq. Pergitur ad *bedingte Heurathen*, ubi iterum in illatis ſucceſſio, ſed nonnullibi magis proficua atque priore caſu. p. 275. itur ad acquiſita, circa quæ diverſa obſervantia, niſi teſtamentum ſit conditum, quod facere & licet, & factum ſequuntur. p. 276. ſeq. de durante matrimonio aliunde obvenientibus vt & ſucceſſione in bona quæ alter absque dotis conſtitutione in matrimonio verſantium conjugum ab altero quæſivit eo caſu, ſi & ſupervivens absque hæredibus moriatur, agitur. p. 278. ſqq. explicantur Jura ſucceſſionis in matrimonio dotato, quoad dotem & acquiſita. Ubi tamen notandum, has omnes conſuetudines de matrimonio improli capiendas. p. 280. ſqq. diſquiritur, quæ ſint bona ad conſanguineos defuncti redeuntia, *hinterfällige Güther*? p. 282. exponitur, quæ bona dicantur *fahrende Haab*? pag. 283. ſeqq. Tranſitus fit (2) ad matrimonia liberis prædita, ubi noti Juris Devolutionis commoda, necnon aliæ obſervantiæ circa ſucceſſionem in proprietate & uſufructu, (a) dote

non

non conſtituta, inprimis ſi alter conjugum, qui ſupervixit, ad iteratum matrimonium convolare velit. p. 286. ſqq. examinatur, quid circa ſucceſſionem ſuperſtitis hoc in puncto Juris, ubi diverſorum matrimoniorum liberi concurrunt. p. 291. de matrimoniis (b) dotatis & eo caſu ubi ultimæ voluntates confectæ, quidque circa has, tum in univerſum, tum in caſu extantium plurium matrimoniorum liberorum Juris ſit. denique pag. 293. de unione prolium, & ſucceſſione unitorum diſquiritur. Sequuntur Jura Retractus & Protimiſeos usque ad finem. Abſoluto vero jam cenſu, id adhuc monendum, uſum eſſe me exemplo, quod *Martini* RASORIS Syndici Francofurtenſis fuerat, ſed admodum corrupto.

§. 14.

Faſc. VI. CHRONICON THURINGICUM ET HASSIACUM SUB TITULO: *CHRONICA und altes Herkommen der Landtgraven zu Dœringen* (al. *und Heſſen*) *und Marggraven zu Meiſſen, auch der Herrn zu Hennenberg, und Fürſten zu Anhalt &c. ab Anno V. C.* 477. *usque ad A. C.* 1479.

CUM

CUM NOTIS IURIDICO-HISTORICIS. Eſt hoc notiſſimum & locupletiſſimum rerum Haſſiacarum Chronicon paulo antiquius, cujus auctor ignoratur. Fuiſſe tamen Hersfeldia oriundum multa produnt, circa ea tempora vero, ad quæ usque Chronicon pertingit, ſe vixiſſe, diverſis in locis indicat. Uſus eſt Riedeſelio, Chronico Norimbergenſi, Magdeburgico & diverſis Thuringicis. Fabulis vero nonnunquam indulget, nec ſemper ſatis adcurationis adhibuit. Exſcripſit hoc Chronicon verbis utplurimum retentis IMHOFIUS, ut & AUCTOR CHRONICI RHYTMICI à Domino KUCHENBECKERO editi, quibus adde DILLICHIUM. Meminit ejus Dn. AYRMANNUS *Vorbereit. zur Heß. Hiſtor.* p. 11. ſq. ubi ejus exemplum ſatis nitidum, ſibi eſſe refert. Hoc, quo ego uſus ſum, non omni vitio carebat; poſtquam vero illud, cum FRANCOFURTENSI AMPLISSIMI SENATUS BIBLIOTHECÆ ADSCRIPTO, UFFENBACHIANO, LIEBKNECHTIANO, & QUIBUSDAM ALIIS contuli, omnem adcurationem, quæ potis, me adhibuiſſe, Lector ſibi perſuadebit. Non vero integrum Chronicon edo, reſecui priora capita, ut

plane

plane nullius uſus futura, & nil niſi miſera ſomnia ſiſtentia. Conſervavi tamen quæ aliquo ſaltem modo ad Germaniam ſpectare videbantur, licet inficeta. Addidi etiam Notas Juridico-Hiſtoricas. Dixi in illis ſtrictim, quæ ad rem pertinere videbantur, aliisque nondum dicta erant, miſſis centies coctis, præcipue vero Domino AYRMANNO & Dn. KUCHENBECKERO in Analectis nuper obſervatis. Nil eſt quod circa illas notem, niſi hoc unicum p. 336. adſcripta eò intelligenda eſſe, ut Ottoni, quippe poſt fratris Henrici mortem primogenito, omni Jure debitum integrum Landgraviatum adſtruant, nec de ejus Jure tum dubitatum doceant, licet peculiares cauſæ fuerint, quibus moventibus patri diviſionem terrarum inſtituenti conſentiret, quo ipſo tamen Juri primogenituræ nil deceſſit. Adde ſupra paulo ab initio hujus præfaminis dicta. p. 364. in nota de adoptionibus Principum ſermonem fieri, quod non eò intelligendum, acſi poſtea dictis contraria ſit. Re vera enim Henricum adoptionem meditatum eſſe reor, licet adoptandus non fuerit Otto Brunovicenſis. Notam autem p. 351. exſtantem ideo addidi, quia fortaſſis Ottonem ab Henrico ſanguinem duxiſſe, & ideo Hi-

Hiſtoriam non plane fabellam, quis ſibi perſuadere potuiſſet. Non invidiſſem aliis, Editionis quam promiſerant honorem, ni hac in re obſequendum fuiſſet alienæ potius quam meæ voluntati, ni etiam alia impreſſionem ſuaſiſſent. Nec id, opinor, ægre, ferent. Jam olim vero, ni fallor *Johannem Fridericum* FAUSTIUM hujus Chronici Editionem molitum eſſe, docet Extractus hoc modo habens: *Chronica und altes Herkommen &c. Solte* 1619. *zu* HEY*delberg in Druck kommen, es gaben aber die Kirchenräthe unter dem* 15. *Novembr.* 1619. *ihr Bedencken dahin, daß ſolches nicht thunlich, vveilen eine Menge Fehler, auch vieles von denen alten Strittigkeiten zvviſchen Pfaltz und* HE*ſſen darinn enthalten. Die Ober-Räthe declarirten unterm* 18*ten Nov. d. anni, daß bey Ihnen es mit dem Druck kein Bedencken habe. Kirchen-Räthe remonſtrirten ferner unterm* 23. *Nov.* 1619. *und führten nebſt Beylage derer gegen Pfaltz ſeyenden Stellen mehrere Uhrſachen an, vvorauf endlich unterm* 10. *Jan.* 1620. *von denen Ober-Räthen Voegelino der Druck verbotten vvurde.* Extant litteræ hujus rei indi-

indices, apud GENEROSISSIMVM quendam PATRIÆ MEÆ SENATOREM, cui pro communicatione publice grates persolvo. Hodie aliis moribus vivitur; nec ideo sane auctori lux invidenda, si ei nil præter Hassiaca placuit, quod certe vitium nostro admodum familiare est, nimio patriæ amore plane nonnunquam in devia acto.

§. 15.

Fasc. VII. TRES DECADES DIPLOMATVM ET CHARTARVM HASSIACAS ET VICINAS TERRAS SPECTANTIVM, MONIMENTA SECVLI XII. XIII. XIV. PANDENTES, CVM COMMENTATIVNCVLIS ET NOTIS JVRIDICO-HISTORICIS. Promulsis hæc est Diplomatum Hassiacorum Collectionis, quæ Semicenturia constare debebat, si nundinarum id tulisset propinquitas. Insignia certe monimenta continet, & aliqua non nisi in his copiis extantia. Multum tamen ei decrevit, dum Limburgum Hassiæ feudum testantem chartam Henrici Pueri de an. 1289. hinc detractam, *Prodromo Juris Feudalis App. IV. p.* 140. inserui. Denuo illa hic locum merebatur, præcipue cum Archiviis & Historicis Hassiacis hactenus ignotam rem

pandat, sed moribus nostris adversabatur, eandem rem, binis vicibus, lectori obtrudere. Quoad Notas non est quod moneam, cum pro instituti ratione satis copiosæ sint, pauculis tantum exceptis. P. 546. dixi, Warandiam annalem, communibus Germaniæ moribus possessorium tantum tribuisse, petitorio salvo. Hanc vero doctrinam immota niti veritate docebit præterea charta in ANALECTIS HASSIACIS P. III. p. 101., qua indicatur, possessorem per annum & diem confirmatum fuisse in possessione *zu besserem rechten*, certo indicio, in petitorio de meliore Jure docere licuisse, etiam anno & die elapsis. In Suevia itidem post anni & diei quietam possessionem superfuisse actionem petitoriam videre est ap. Dn. GLAFEY Anecdot. T. I. p. 367. (add. p. 541.) ubi: *Was die Burger in Schwvaben Jahr und Tag in Besitz gehabt, das soll ihnen auch ferner bleiben, und vvo man sie darum ansprechen vvill, soll es geschehen vor dem Schultheißen in der Stadt.* Hæc de consuetudine. An vero Statuta amplius Jus tribuerint, atque judiciali Warandia prædito post annum & diem omnimodam quietem sponderint, ne nunc quidem satis

tis novi. Recordor ſane ſtatuti Viennenſis Monetarios concernentis, quo Rudolphus I. apud Dom. DE MOSER Bibl. Manuſcr. p. 120. voluit: *Wir vvollen auch vvelicher unter den Hausgenoſſen ſein Hausgenoſſchafft hat freylichen an allen Klag ein Jar, und kem einer bey im in dem Landt vver gevveſen ein gantz Jar und hat in beklagt nicht und vvill in darnach des Jars Friſt beklagen und hat doch gehabt die Iare ſeines Alters, ſo ſol man in durch nichte nicht hören.* Sed id quousque Juris communis fuerit, haud definio. Exponentur hæc aliquando curatius. p. 560. Separationem Eccleſiarum non fuiſſe Juris Territorialis circa ſacra ſpeciem defendo. Non me fugit, Sereniſſimos Haſſiæ Lantgravios ante reſtituta puriora ſacra, inſignibus circa ea Juribus gaviſos, & vel ex ANALECT. HASS. P. VII. p. 80. ſqq. hac de re ſatis edoctus ſum, at ideo tamen non omnia ad id genus Jura trahere licebit, quæ cuivis alteri etiam absque Dominio Territoriali competere potuiſſent. Hæc vero monuiſſe ſufficiat!

§. 16.

Legiſti hactenus, quid juſſu atque auctoritate Sereniſſimorum Principum circa

Hassiaca nostro ævo susceptum, habes hasce meas primitias, fortassis nunc scire desideras, qui præterea circa Hassiaca aliquid conati sint; & id ipsum erat, quo tendebam, simul nonnulla aliis indicta prolaturus. Primo vero loco hic noto ANALECTA HASSIACA partim ex Manuscriptis eruta, partim typis jam excusa, sed rarius obvia; collegit, observationes prævias & Indices necessarios adjecit, *Ioh. Phil.* KUCHENBECKER, quorum collectio I. Marburgi 1728. 8. lucem vidit, II. 1729. III. 1730. IV. anno eodem, V. 1731. VI. eodem, VII. 1732. VIII. 1732. prodiit, neque heic stabunt, si quidem promissis fides. Cl. Kuchenbeckerus, nunc Archivio Cassellano præfectus, hac in farragine Consult. ESTORIS, Cl. AYRMANNI aliorumque scripta minuta Hassiam concernentia partim primus orbi stitit, partim restituit. Accedunt fere singulis Tomis Diplomataria & editoris de quibusdam Historiæ Hassiacæ passibus cogitata. Maximi certe fructus est institutum, cui & ego antehac manus auxiliatrices dedi. Simul vero hoc in libro invenire est, Chronica quædam Hassiaca Anecdota, videlicet Tom. I. *Congeriem etlicher Geschichte,*

ſchichte, ſo ſich in Heſſen, insbeſondere zu Caſſel vom Iahr 1247. *bis* 1566. *zugetragen* à pag. 1. usque ad 39. Tom. III. *Excerpta Chronici Riedeſeliani Haſſiaci ab a.* 298. *usque ad an.* 1547. pag. 1. usque 71. incl. ejusque *Supplementa Tom. VI. p.* 457. *ſqq.* Tomo vero V. *Wigandi* GERSTENBERGERI *Chronicon Francobergenſe* à p. 145. usque ad finem. Non graviter feres te hic in diverticulum duci. Permiſeram ego meum Codicillum Domino Editori, plenioris Exempli ignarus. Quale tamen poſtmodum in celeberrima olim VFFENBACHIANA deprehendi. Monuiſſe vero id haud abs re fuerit! Tomo VI. Chronicon Rhytmicum ſub titulo: *Genealogia und kurtze Chronica der Landgrafen, ſo Thüringen und Heſſen beyeinander gehabt haben.* à p. 241. usq; ad 421. incl. de quibus omnibus judicat ſupralaudatus AYRMANNUS *Einleit. zur Heß. Hiſt.* p. 12. 13. 15. Eſt hoc ultimum certe ampliſſimum rerum Haſſiacarum Chronicon *in Pritſchmeiſters Verſen*, quod tamen nullus dubito, quin ab antiquiore deſcriptum, & eatenus nova veſte indutum ſit. Scribit enim NOHIUS Hersfeldenſis *Chronici Haß. c.* 11. ſe præter

prosaicum, etiam Chronicon Hassiacum cecinisse, quod si exstaret, possemus forte hoc ECKELIANO usque ad an. 1512. facile carere. Haud dubie enim dictus Nohius reliquis antiquioribus Hassiæ Historicis in Chronico suo cui titulus: *Heßische Chronick von Cajo Julio Cæsare sieben und viertzig Iahr vor Christi Geburt an biß auf das Iahr Christi* 1520. *colligirt und beschrieben durch Joh. Nohen von Herßfeld, palmam præripuit.* Non eò hoc dico, ac si in antiquioribus non æque ac alii fabulis scateret, acsi non æque stylus à vitio ævi multum traheret, id tantum volo, Nohium, hominem negotiis admotum, magis tolerandum se hactenus præbere. Præterea vero multorum negotiorum testis fuit ocularis, Chronicon quod hoc Tomo edidi, atque reliquis Seculi XV. amplius est passim supplet, & illic ubi hoc desinit plenissimus fit, ut & supplere & continuare voluisse Anonymum meum videatur. Historia certe Hassiaca ab anno 1479. usque ad a. 1510. ex hoc fonte unice ferme petenda, cui à c. 43. usque ad finem intentus est. Eo majorem vero fidem meretur, quo magis negotiis interfuit, (vid. c. 58. 59.) Wilhelmo Medio Hassiæ Lantgravio

gravio Comes in Würtembergiam datus, aliisve rebus adhibitus. Floruit an. 1479. & sequentibus, atque ad an. 1511. pervenit, quo descripto, in Codice meo additur. *Explicit Chronicon Hassiacum Johannis Nohen Hersfeldensis.* Reliqua quæ sequuntur, diversa à priore manus adjecit, & ipsa non plane inutilia. Candorem præcipue hujus auctoris mecum exosculabere, quo ei nihil prius, nihil antiquius, de reliquis jam dicere præcepi. Edetur autem denuo Tom. IV. selectorum, ex quo enim eum ante biennium imprimi feci, notisve ornavi, longe meliorem auctioremve Codicem nactus sum, quo in nova editione utar. Adde certis ex causis priorem illam lucem non vidisse præter 12. ferme exempla.

§. 17.

Comitem huic imo pedissequum potius do M. *Joseph.* IMHOF, cujus Chronicon Hassiacum MSC. hoc titulo insigne deprehendi: *Heßische Chronick beneben der Genealogia und Ursprung der Landgrafen aus Hessen, vvelche erstlichen mit Thüringen eine Landgrafschafft gevvesen, aber nachmals getheilet vvorden, vvie hernacher folgt. Aus vielen Historicis und Antiquitatibus zusammen*

gebracht, durch Joseph. Imhof Springensem An. Christi 1575. *fol.* Orditur opus ſuum Anno Chriſti 306. & ad an. usque 1567. pertingit. Principio cum vetere Chronico Thuringico, poſtmodum cum nobis in præſens edito *Chronica und altes Herkommen* &c. ambulat, poſterioris plerumque verba retinet, nonnulla tamen ex Riedeſelianis Excerptis & aliunde admiſcet. Ubi vero Anonymus meus deſinit, negligentiſſimi Hiſtorici labe tangitur Imhoſius, nec Genealogia Haſſiaca ab eo in calce adjecta, alicujus pretii eſt. Carere ergo potuiſſet hoc ſcriptore res Haſſiaca. Quo anno (non floruerit ſed) aruerit, neutiquam novi, omnia tamen indicant, ſeculo XV. (quo eum Cl. AYRMANN. Analect. Haſſ. P. VII. p. 16. retulit) recentiorem eſſe. Heſſiſche Chronick durch *Wigand* GERSTENBERGER genannt BODDENBINDER à Chriſto nato usque ad an. 1549. pertingit, & eodem plane ſtylo, quo ejus Chronicon Francobergenſe, conſcripta eſt. In antiquis, Reges Thuringos ad S. Bonifacium concernentibus valde prolixus, in in medii ævi rebus brevior, Continuator vero in novis plane breviſſimus eſt. Thuringica potiſſimum ſectatur. Me vero judice,

dice, absque ullo Historiæ Hassiacæ incommodo, semper ineditus latebit. De *Wilhelmi* BUCHII *Chronico Hassiaco* Manuscripto, quod initio Seculi XVII. gliscentibus tum controversiis, hand dubie Dilichii æmulatu exclusum, ANONYMO *Compendiariæ* HASSIÆ *Lantgraviatus Relationis* auctore, LAVZII opere manu exarato, ubi inprimis Philippi Magnanimi gesta describantur, quodque 2. Voluminibus iu folio constet, TOLNERO aliisve vid. Dn. AYRMANN *Einleitung zur* HESS. HIST. p. 16. sq. & p. 21. Hactenus de antiquis editis & manu exaratis Hassiæ Chronicis adhuc exstantibus. Quo vero devenerit *Iohannis* RIEDESELII Chronicon Hassiacum haud dubie antiquiorum omnium optimum nondum indagare potui. Docuit equidem Francofurti ultima vice commorantem vir quidam magni nominis, asservari certo in loco & RIEDESELIANUM CHRONICON & ALTERUM RERUM HASSIACARUM SCRIPTOREM ANTIQUUM hucusq; ignoratum, sed nec inquirendi tempus fuit, nec spatium. Memini Tomo III. Analect. Hass. p. 48. & 50. in Excerptis Riedeselianis laudari *Tilemanni* HOLLAUCH Can-

cellarii Regiſter und Notata, ſed qualia ea ſint, numque tantum ad feuda acquiſitionesque, vel etiam alias rerum Haſſiacarum partes Hiſtoriamve pertineant, ſcio cum aliis. *Theophili* SEIBERTI *Auszug zuſammengeſuchter Geſchichte u. Handlungen, ſo ſich in Heſſen, ſonderlich in und um Caſſel begeben haben, nach der Geburt Chriſti 703. Iahr anzurechnen, usque ad an.* 1615. varia bonæ frugis complectitur, præcipue in recentioribus temporibus, in antiquioribus enim alios verbotenus exſcribere, auctoris maxima cura. Adeoque in multis differt à *Congerie* §. 16. tacta, qua tamen uſus videtur. Compendium Hiſtoricum de Thuringia & Haſſia *Laurentii* PECKENSTEINII Hiſtorici pertingit, ab an. 326. usque ad Mauritium Haſſiæ Landgravium ſed non magni eſt pretii, cum Hiſtoriam breviſſime tantum & non citatis fontibus percurrat, multa ſcitu digna omittat, contra non neceſſaria infarciat, Archiviis vero planenullis uſus ſit. Habui illud ex Bibliotheca quadam GENEROSISSIMI cujusdam SENATORIS FRANCOFURTENSIS.

§. 18.

Nunc ad edita recentiora Chronica & Hi-

Historias Hassiæ. Antesignanum his dabo *Sigefridum* LEMPPIUM Marpurgicum, qui Hassiados libros tres evolventes Illustrissimorum Hassiæ Lantgraviorum inclutam familiam & Genealogiam vetustissimam inde usque à Caroli M. laudatissimi illius Francorum Regis & Imperii Germanico-Romani Imp. I. Opt. Max. posteritate sacros laudatiss. & potentiss. Hassiæ Principibus & Lantgraviis & DD. Comitibus Cattimelibocorum Deciorum Ziegenhainæ & Niddæ decantatos à Sigefrido Lemppio Marpurgico. Marpurgi 1600. 8. emisit, inque hoc trium plagularum libello Serenissimorum Lantgraviorum genus à Ludovico Barbato usque ad annum 1595. versu non plane inficeto percurrit, elogia tamen potius exhibens, quam Historiam. Succedit *Hessische Chronica zusammen getragen und verfertiget durch Wilhelm Scheffern genannt Dilich, und zu Cassel gedruckt durch Wilhelm Wessel* 1605. 4. Exstant vero præter hanc adhuc Editiones de an. 1606. 1608. & 1617. ibidem impressæ. Egit de iis ut & reliquis Dilichii Scriptis Vir Consult. *Joh. Georgius* ESTOR Analect. Hass. P. VIII. p. 264. sqq. Splendidissima harum Editionum diversarum haud dubie

est

eſt ſecunda anni 1606. figuras omnium Haſſiæ & Wetteraviæ caſtrorum ac oppidorum, cum Genealogiis Comitum Dominorumque ſiſtens, multa alia etiam exhibens, in ſequioribus Editionibus, cuncta maximam partem omiſſa. Certe quæ ſecuta anni 1608. plane nullas tabulas Genearchicas aut figuras Parte I. ſiſtit, Parti vero II. quasdam ſervavit, quarum ſyllabum in calce legere licet. In nonnullis tamen præcedente illa auctior eſt. Præcipue P. I. ſingulis ferme plagulis nonnihil acceſſionis recepit, p. vero 146. recens deſcriptio dynaſtiarum *Franckenſtein*, *Gleichen* und *Pleſs* ſe ſiſtit, ſed nonniſi paucorum foliorum. Parti contra II. auctor nil novi dedit, ſi à paucis periodis poſt annum 1605. abeas. In eo quoque differt, quod Dedicationum in locum tam primo quam ſecundo libro præfamina ſucceſſerint, formæ mutationem inferentia, non materiei. In ultimo Operis totius folio Errata ad Partem II. directa comparent, queis Allocutio ad Lectorem ſubjicitur hunc in modum: *Es iſt zwar lieber Leſer in titulo dieſes Chronici gedacht derer angehängten Genealogien, ſo wohl eines Augmenti, und dann Beſchreibung der Heſſiſchen Ritterſchafft, dem-*

demnach aber ſolche vvegen kürtze der Zeit in ytzige Meſs nicht ausgefertiget vverden können, als vvird der Käufer in künftiger Herbſt-Meſs ſelbige auch abzufordern vviſſen. Caſſel den 4ten Mart. 1608. *Wilhelmus Weſſelius.* Num huic promiſſo Bibliopola poſtea ſteterit ſcio cum aliis; Editio certe quam poſſideo, & figuris & tabulis Genearchicis, ſi priorum bigam excipias, adhucdum caret. Retulere tamen alii, ſuis Exemplis & reliquas non deeſſe. Quæ noviſſima eſt anni 1617. in omnibus ultimo loco tactæ plane gemina, nec figuris nec ſtemmatum Tabulis inſtructa cernitur. Qui vero factum fuerit, ut liber non magna laude dignus quater excuderetur, vix hodie vel mente concipere licebit. Non vero largam ab Eruditis gratiam initurus eſſet, qui quintam Editionem ſive Partis I. ſive Partis II. procurare tentaret. Licet enim rariſſimus ſit Dilichii libellus, neminem nihilominus noſtro tempore ejus cupido tenebit. Hic vero eſt rerum Haſſiacarum Scriptor, contra quem *Marquardus* FREHERUS adſcititio nomine *Weyrich* WETTERMANN uſus, *Hiſtoriſchen Bericht von der Wetterau, Rinckau, Weſtervvald, Lohngöu, Hayrich und andern an das Fürſtentum Heſſen*

grän-

gräntzenden Landen. Francofurti 1608. 4. emisit, nunc in *Analectis Hassiacis*, Domini *Bernhardi* antiquitatibus Wetteravicis, & Dni *de Harprecht* Wetteravia Illustrata recusum opusculum. Scilicet & Iconas castrorum villarumve & Genealogias viciniæ, Hassiæ suæ inseruerat Dilichius, hac ratione usus, quia Catti Hassorum majores, cuncta tenuerant. Male id habuit Comites Wetteravicos, aliud dici, aliud vero quæri existimantes. Horum ergo in gratiam Freherus hoc opusculum confecit, ubi Hassos Cattorum propaginem negavit, atque Wetteraviam ad Hassiam hodiernam non spectare contendit. Sed prius probare Vir Eruditissimus non poterat, posterius Dilichius non dixerat. Eruditionis tamen & ingenii laudem scriptum meretur.

§. 19.

Pergimus ad *Johannem Justum* WINCKELMANNUM, cujus *gründliche und vvahrhaffte Beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Hersfeld samt denen einverleibten Graf- und Herrschafften, mit den benachbarten Landschafften in VI. Theilen verfasset* edita est Bremæ 1697. fol. titulotenus recusa ibid. 1711. fol. Partibus VI. quod titulus præfert, constare de-

debebat hoc opus, quarum tamen nonnisi V. prodierunt, & hæ ipsæ quo minus citius evolarent, multis difficultatibus, de quibus auctor acerbe conqueritur, impeditæ. Exstant tamen Partis VI. quæ secundum Volumen totius operis absolvebat, nonnullæ plagulæ, usque ad Ludovicum Barbatum pertingentes, sed longius typum progressum non novi, licet Winckelmannus 4. Alphabeta jam absoluta scribat. Non ingratum erit Historiam Hassiacam amantibus, si VIRI CUJUSDAM CONSULTISSIMI AC ERUDITIONE SUMMA CELEBERRIMI beneficio mihi concessa libri VI. quousque in Augusta quadam Bibliotheca exstant capita, hic exhibeam. En ergo Tibi ea!

I. recensiret VVinckelmann den SECHSTEN Theil seiner Hessischeu Chronic selbst in dem, dem gantzen VVerck vorgesetzten, KURTZEN BEGRIFF UND INHALT pag. 9. 10. 11. u. 12.

II. Spricht er eben daselbst p. 1. *dass im sechsten Theil allbereit VIER Alphabet gedruckt sind.*

III. Sind in dem hier verhandenen auf sehr sauber Schreibpappier gedruckten Exemplar von diesen vier Alphabeten nur die ersten ZVVEY Alphabete befindlich, vvelche mit frischen numern anfangen, und 184. *Folio-Seiten einnehmen. VVoraus zu schliessen, dass dieser sechste Theil allein so starck, als die vorhergehende fünffe, vverden, und den 2ten Tomum des gantzen VVercks ausmachen sollen. VVelches*

auch

auch gar füglich hätte geschehen können, vveil er in gedachten 2. Alphabeten vveiter nicht, als bis auf Conradum Salicum kommen, und, laut des obangezogenen kurtzen Inhalts, die Lebens-Beschreibungen aller alten Landgraffen von Thüringen, und hernach der Landgraffen zu Hessen darinnen bis auf seine Zeit ausführen vvollen.

Die Materien Rubricken sind inzwischen wie folget:

Johann Just VVinckelmanns sechster Theil der Hessischen Chronic in sich begreiffend Chrono-Stemmato- & Polemographiam Ducum, Landgraviorum & Principum Hassiæ,

das ist,

Zeit-Stamm-Kriegs-und Regenten-Buch der alten Chatten Königen, Herzogen und Landgrafen zu Hessen, als von ihrer Ankunft, Heurathen, Sypschaften, zu Kriegs-und Friedens-Zeiten verrichteten Sachen, fürtrefflichen Helden-Tugenden, Ritterlichen Thaten, Heerzügen, Feld-Schlachten, Belag-und Eroberungen der Städten und Festungen, Leben, Absterben, Begräbnissen und sonsten scharfsinnigen klugen Spruch-Reden, und von Jahr zu Jahr fürgelauffenen denckvvürdigen Geschichten, Reichs und Land-Tägen, auch Synodalischen Zusammenkünften, Theurungen, Zeichen am Himmel und Erden, Hagel, Ungevvitter, Erdbeben, VVasserfluthen, Missgeburthen &c. &c. &c.

Des sechsten Theils ersten Buchs erstes Capitel.

p. 1. Von Ankunft der uralten Teutschen, der Sarmaten, Celten, Cimbern, Galliern und Galatern, vvie auch von Gomern, Ascenas und andern deren Regenten,

ten, als Belloveso und Sigeveso und deren verrichteten Thaten.

Das zvveyte Capitel.

p. 5. *VVie die Griechische Dorii oder Dorienser unter ihrem Heerführer Hercule in die Niederlande kommen, vvie sie von den Cimbern hart betränget vvorden und nach hinterlassung mercklicher Zeugnisse in das Thüringer Land fortgerückt seyn.*

Das dritte Capitel.

p. 12. *Von der Chatten Königen Batone dem ältern und dessen Sohn Batone dem jüngern Königen der Chatten und der Batavier, und vvie der jüngere Bato mit seinen Landsleuten in die Niederlande geruckt sey.*

Das vierte Capitel.

p. 19. *Hesus König der Batavier.*

Das fünfte Capitel.

p. 20. *Cattmayer der Chatten Fürst, vvie dieser nebst dem König Ehrenvest (Arioviſto) und andern Germaniern mit Julio Cæsare vor die Freyheit manlich gefochten.*

Das sechste Capitel.

p. 26. *Virdomarus oder Freymayer der Chatten Fürst, vvie er dem Römischen Feldherrn Druso sich vvidersetzt, zu vvelcher Zeit unser Seligmacher Jesus Christus gebohren, vom jungen Fürsten Arminio und von des Q. Vari Niederlag.*

Das siebende Capitel.

p. 35. *Arpus oder Erb der Chatten Fürst.*

Das achte Capitel.

p. 42. *Adgandestrius der Chatten Fürst.*

Das neunte Capitel.

p. 45. *Vom König VVeibeln oder Feisel.*

Das zehende Capitel.

p. 47. (*Italus*) *Eitel der Cheruscier und Chatten König.*

(*Ende des ersten Buchs*)

Des sechsten Theils ANDERN Buchs erstes Capitel.

p. 48. *VVas sich nach König Eiteln Tod bey den Chatten zugetragen, vvie manlich sie sich nebst andern Teutschen sehr tapfer gehalten, vvie sie unter sich uneinig vvorden, und theils ihren Sitz verrucket.*

Das zvveyte Capitel.

p. 54. *VVoher, vvie und zu vvelcher Zeit die tapfere Namen der Allemannier, Francken und Sachsen aufkommen.*

Das *dritte Capitel.*

p. 56. *VVie die* Darienser, *hernach die Thüringer am Nieder-Rhein und in den Niederlanden sich ausgebreitet, vvie theils ihren Sitz verrucket, sich geschvvächet, vvieder erholet, ein Königreich aufgerichtet, mit den benachbarten sich offters herumgetummelt, und hernach über den Mayn gegangen, und das neue Kœnigreich in Thüringen aufgerichtet.*

Das *vierte Capitel.*

p. 58. *Vom Aufnehmen der Alemannier und Francken, und deren verrichteten Thaten.*

Des *Sechsten Theils DRITTEN Buchs Erstes Capitel.*

p. 69. *Von der Kœnigen in Francken und Thüringen Regirung, insonderheit von Herzog Meroveo und Kœnig Pharamundo.*

Das

Das zvveyte Capitel.

p. 73. *Von Clodio, König der Francken und Rhein-Francken.*

Das dritte Capitel.

p. 76. *Mervvig (Meroveus) der Ost-Francken auch Thüringer und Hessen König, und von Basino Kœnigen in Ost-und VVest-Thüringen.*

Das vierde Capitel.

p. 80. *Childerich oder Hulderich (Childericus) der Francken Kœnig und Basinus der Thüringer Kœnig.*

Das fünfte Capitel.

p. 81. *Von Clodovaeo,* Kœnigen *der Francken &c. VVie auch von Basino und Hermanfrieden der Thüringer* Kœnig.

Das sechste Capitel.

p. 84. *Von Hermanfriden, Balderichen und Berthario Gebrüdern,* Kœnigen *in Thüringen.*

Des Sechsten Theils VIERDEN Buchs Erstes Capitel.

p. 92. *VVie Thüringen und das itzige Hessenland an die* Kœnige *zu Francken gelanget, und selbige entvveder von ihnen selbsten oder durch ihre Vervvalter regieret vvorden.*

Dieterich (Theodoricus) Kœnig *zu Metz und Thüringen.*

Das zvveyte Capitel.

p. 93. *Theodebertus, Teuteberth oder Dietvverth,* Kœnig *der Francken, Thüringer und Hessen.*

Das dritte Capitel.

p. 98. *Theobaldus oder Dietvvald,* Kœnig *in Austrasien, der Francken und Thüringer.*

Das vierde Capitel.

p. 98. *Clotharius oder Luther, der Grose genannt,* Kœnig *in Franckreich und Teutschland.*

Das fünfte Capitel.

p. 101. *Sigberth,* Kœnig *in Austrasien, zu Metz, Ost-Francken, und Thüringen.*

Das sechste Capitel.

p. 103. *Childebert oder Huldvverth,* Kœnig *der Ost-Francken, und Thüringer.*

Das siebende Capitel.

p. 105. *Dietvverth (Theodobertus oder Theutebertus) Kœnig der Austrasier, Ost-Francken und Thüringer.*

Das achte Capitel.

p. 106. *Dieterich,* Kœnig *zu Metz, Burgund, Ost-Francken und Thüringen.*

Das neunde Capitel.

p. 108. *Lotharius der ander,* Kœnig *in Franckreich und Thüringen.*

Das zehende Capitel.

p. 109. *Dagobertus I.* Kœnig *zu Metz, der Ost-Francken, Thüringer und hernacher* Kœnig *in der Franckenreich.*

Das elfte Capitel.

p. 111. *Siegvverth der ander,* Koenig *zu Metz, in Ost-Francken, und Thüringen.*

Das zvvelfte Capitel.

p. 112. *Childerich der ander oder* Hulderich, Koenig *in Austrasien, der Ost-Francken und Thüringer.*

Das dreyzehende Capitel.

p. 112. *Dieterich der dritte,* Koenig *in der Francken-Reich und Thüringen.*

Des Sechsten Theils FUINFTEN Buchs Erstes Capitel.

p. 114. *Von der Regirung der Franckischen Pfaltz-Vogten in Thüringen und Hessen, wie auch von der Regirung der* Kaiser, Koenigen *und Hertzogen aus den Nachkommenen Caroli Magni.*

Pipinus Grossus vel Crassus, item Junior & Heristallus oder de Herstall, Gross-Hofmeister und Pfalz-Vogt.

Das zweyte Capitel.

p. 116. *Carolus Martellus, Gross-* Hofmeister *und Regent in Franckreich und Austrasien.*

Das dritte Capitel.

p. 119. *Carlmann, Pfalz-Vogt der Ost-Francken, Thüringer und Hessen.*

Das *vierde Capitel.*

p. 120. Pipinus, *der ander seines Stamms, und dritte dieses Nahmens, Pfalz-Vogt und hernach* Koenig *in Austrasien.*

D*as fünfte Capitel.*

p. 122. *Von Carlen dem Grosen,* Koenig *der Francken, und vvas sich bey seiner Zeit in diesen Landen begeben, sonderlich in dem langvvürigen* Krieg, *den er vvider die Sachsen geführet, und vvie er endlich die Hoheit des Rœmischen* Kayserthums *an die Teutschen gebracht hat.*

D*as sechste Capitel.*

p. 139. *Ludwig der erste, zugenamt Pius, der fromme und gütige, Roemischer* Kayser *und Herrscher über Hessenland.*

D*as siebende Capitel.*

p. 144. *Ludvvig der ältere,* Koenig *in Teutschland.*

Das achte Capitel.

p. 148. *Ludvvig der dritte dieses Namens, Koenig in Teutschland, und also auch in Hessen.*

Das neunde Capitel.

p. 149. *Carolus Crassus oder der dicke genannt, Rœmischer Kayser und Kœnig in Teutschland.*

Das zehende Capitel.

p. 149. *Arnolphus, Rœmischer Kayser und Kœnig in Teutschland.*

Das elfte Capitel.

p. 150. *Ludvvig der IV. Rœmischer, auch in Teutschland Kœnig &c.*

Das zvvelfte Capitel.

p. 154. *Conrad,* Herzog *der Ost-Francken, Hessen und VVetterau, hernacher Rœm.* Kœnig.

Des *Sechsten Theils SECHSTEN Buchs Erstes Capitel.*

p. 157. *VVas unter der Regirung der Sächsischen* Kœnigen *und Kaysern in* Hessenland *vor Geschichte und Handlungen vorgangen.*

Henrich *der erste, genannt der Vogler,* Herzog *zu Sachsen, VVestphalen, Engern, Thüringen und* Hessen, *hernach Rœmischer* Kayser.

Das zweyte Capitel.

p. 162. *Otto der erste, Herzog zu Sachsen, VVestphalen, Engern, Thüringen, Hessen, VVetterau &c. hernach Rœmischer* Kayser, *und zugenamt der Grose.*

Das dritte Capitel.

p. 171. *VVas sich unter folgenden dreyen* Kaysern, *Otten dem andern, und dem dritten, vvie auch* Henrichen *dem zvveyten, in Hessenland oder sonsten merckvvürdiges begeben.*

Des

Des Sechsten Theils SIEBENDEN Buchs Erstes Capitel.

p. 175. *Von Conraden des andern, Saliqui genannt, Herzogen zu Francken und hernach Rœmischen Kaysers und seiner Gemahlin Giselæ Herkunfft.*

Das zvveyte Capitel.

p. 179. *Von der grossen Enderung in VVest-Franckreich, vvie und durch vvas Mittel, selbiges Kœnigreich auf Hugonem Capetum und seine Nachkommene gelanget; und vom gegenvvärtigen Zustand in Lothringen, Burgund und Arelat.*

Das dritte Capitel.

p. 182. *Von Ankunfft der Grafen und Land-Grafen zu Thüringen und Hessen, und vvie sie mit Kayser Conraden II. und seiner Gemahlin Gisela mœchten vervvand seyn.*

Dieses Capitel ist nicht gantz hier, sondern, vvas vorhanden, endiget sich fol. 184. mit diesen VVorten:

Hierin kommen alle Scribenten überein, dass so vvohl Kayser Conrad II. als seine Gemahl Gisela den Grafen von Arelat mit naher Bluts-Freundschafft zugethan, und beyde von Kayser Carolo Magno ihren Ursprung herführen sollen, gestalt bey David Blondello Tom. 2. Geneal. Francic. fol. 35. dieser Kayser Conradus mit seiner Gemahlin Gisla und Ludvvigen mit dem Bart von Kayser Henrichen dem Finckler hergeführet. - - - -

Besser hätte VVinckelmann gethan, vvenn er die Rubrick dieses dritten Capitels gar vveggelassen, und also diese Frage gar nicht aufgevvorffen, oder darunter gesetzet hätte: Nescio, vveil dasjenige, so er hier vorbringet,

get, zur decision der Frage im geringsten nichts beyträget.

Profecto si eo quo hic cepit modo perrexisset Winckelmannus, non male cum perituris chartis actum, dum eis vel invito auctore parsum est. Vix tamen dubium hæret, recentiora, ubi Archiviis adjutus, comtiorem habitum fuisse prælatura. Rerum enim Hassiacarum peritia & Monimentorum copia Virum abundasse, vel Partes V. in omnium manibus versantes indicio sunt. Inde vero sat causæ Serenissimis Hassiæ Lantgraviis fuit, ut Partem hanc VI. coëmi juberent, id quod tamen certis ex rationibus non successit. Nemo enim vel ante vel post Winckelmannum, si Dominum Schminckium & reliquos supra laudatos excipias, majori apparatu ad res Hassiacas accessit, sed subacto judicio destituebatur, unde stylus prolixus, humi repens, nimia credulitas, & reliqua non nisi judicii vi carentibus familiaria vitia. Longius autem progressum esse typum, atque ad pag. 182. inde idem VIR SUMMUS conjiciebat, quia paginæ Partis VI. in reliquis V. Partibus longe amplius allegentur, imò Partem VI. integram impressam, sed luci non datam, suspicabatur. Ego vero ex ore Viro-

rorum fide dignissimorum habeo, non longe imprimendo perventum, reliqua autem nunquam nisi scripta sibi visa. Id tamen in dubium non revoco, forte ad quatuor foliorum ordines usque typothetas decurrisse.

§. 20.

Ad novissimos progredimur! Primas dabo Viro Clarissimo *Johanni Adolpho* HARTMANNO, cujus Historiæ Hassiacæ in Auditorum usum concinnatæ, Pars I. gesta Hassorum ad annum usque 1567. complexa, cum Oratione de Ludovici Barbati origine, rebusque gestis Marpurgi 1726. 8. lucem adspexit, atque sic satis eleganter, concinne, copiose ex monimentis quæ ad manus erant (Archivia enim non inspexerat) conflata est; uti vero dies diem docet, vel ipse Vir Clarissimus multa habebit, quæ nunc addat, emendet, refingat. Secuta est *Christoph Friderich* AYRMANNS *Einleitung zur Hessischen Historie, der ältern und mittlern Zeiten, Franckfurt und Leipzig* 1732. 8. Pervenit ad annum usque 1509. Pars II. vero adhuc sub incude est, recentiora peragratura. Supplementa potissimum præbet reliquis Hassiacis Scriptoribus, inprimis jam laudato

Hartmanno, & diſſentiendi occaſiones ſtudioſe conquirit. Si dicendum quod res, non ultimo loco ſtare merebitur, dixit enim multa aliis indicta, Apparatum Hiſtoricorum Haſſiæ ſtitit, & ubique lectiſſimis uſus eſt fontibus. Idem ſe ampliorem Haſſiæ Hiſtoriam ſub titulo: *Heſſiſcher Cedern-Hayn* editurum, in vita ſua promiſit. M. *Johann Jacob* SCHATZEN *kurtzer Abriſs der Sächſiſchen, Thüringiſchen und Heſſiſchen Hiſtorie von ihrem erſten Anfang bis auf gegenwärtige Zeit. Jena* 1734. 8. tyronum in gratiam conſcripta eſt, atque his etiam non parvum uſum præſtabit, facili enim Auctor utitur methodo, nec ſe nimium diffundit, captum eorum, queis ſcribebat, ſecutus. At hic ſtabimus!

§. 21.

Ad Genealogiarum conditores pergo; Non advoco huc REUSNERUM, HENNIGESIUM, RITTERSHUSIUM, HUBNERUM & ceteros, neque etiam illas tabulas Genearchicas cenſebo, quæ ſingulis ferme Principum concionibus funebribus additæ ſunt. SOLENNITATUM NUPTIALIUM & in tingendis SACRO FONTE Principum liberis celebratarum De-

Deſcriptiones, eodem pertinent, & ut plurimum id genus tabulas una exhibent. Prodeat ergo primo loco *Magni* HESENTHALERI *kurtze Entvverfung der Herkunft, Standes, Urſprungs beyder Durchl. Hæuſer Wurtenberg und Heſſen, Stutgard* 1675. *fol.* deinde *Johannes Iuſtus* WINCKELMANNUS de Principibus Haſſiæ eorumque Genealogia, Gieſſæ 1636. 8.

§. 22.

Nunc ad particularem Haſſiæ Hiſtoriam! Non percurro, quæ in Analectis Haſſiacis huc ſpectantia exſtant, cum ea præſupponam. Nec omnes conciones funebres aut pomparum deſcriptiones, ſed lectiores tantum. In reliquis ad Clar. Dni. AYRMANNI Mauſoleum Haſſiacum renovatum &c. *Worinnen die Lebens - Beſchreibungen und Lobſprüche der Durchl. regierenden Herrn Landgrafen zu Heſſen, von Philippo Magnanimo bis auf die gegenvvärtige Zeit zu finden ſind, vvie dieſelben aus verſchiedenen Leichen-und Lobreden Perſonalien &c. zuſammen geleſen und zum Druck befördert vvorden* in fol. cum die proditurum, remittens. Scito ergo in *Hermanni* KIRCH-

KIRCHNERI ſuperioris ævi Heroum, Ducum ac Principum curriculis, Orationibus & elogiis clariſſimorum Virorum comprehenſis, eorumque Tom. II. Marpurgi 1610. 8. impreſſo exſtare Philippi Magnanimi, Wilhelmi, Ludovici Senioris, Philippi Junioris, & Georgii Haſſiæ Lantgravii Vitas, Orationibus funebribus expoſitas. Apud *Cyriacum* LENTULUM in Taciti Germania notis illuſtrata, Marpurgi 1666. 8. p. 314. ſqq. vitam Guilielmi VI. Multa itidem eſſe in *concionibus funebribus* III. Tomis cura *Simonis* SCHARDII collectis, adhæc *Wilhelmo* DILLICHIO deberi *Hiſtoriſche Beſchreibung der Fürſtlichen Kindtauffe Fräulein Eliſabethen zu* Heſ*ſen &c. vvelche Anno* 1596. *zu Caſſel gehalten vvorden, mit beygefügten Abriſſen der Ritterſpiele ſo damals vollenbracht. Caſſel* 1598. fol. Agere de Origine Haſſorum *Andream* GOLDMAYER, ab Aſtronomicis Civitatum aut Provinciarum deſcriptionibus notum ſcriptorem, Marp. 1645. 4. ſermone vernaculo. In Hiſtoria vero Philippi Magnanimi legendos omnes, qui in Hiſtoria Germanica illius temporis occupati fuerunt, inter alia quoque MELANCHTONIS Epiſtolas, præcipue

pue quæ ad CAMERARIUM exaratæ, ſed non ſine clave. Iniquus valde eſt in hunc heroa Auguſtanorum præfectus *Sebaſtianus* SCHERTFLIUS tam in edita Hiſtoria, quam etiam in Anecdota ſive *Ephemeridibus*, ubi tantum non proditionis, & neſcio cujus non criminis accuſatur. Sed injuria fit Magni animi Principi, quod ex Actis Manu exaratis, à SECRETARIO quodam CÆSAREO congeſtis, ut & IPSIUS LANTGRAVII juſſu conſcriptis, & apud SUMMUM quendam VIRUM exſtantibus RELATIONIBUS, didici. Eſſent multa circa tanti Ducis geſta monenda, quæ lubenter concedam iis, queis Philippi rebus amplius lumen inferre arridet. B. WEBERI, Cancellarii, WALDTSCHMIDII, SCHMINCKII, AYRMANNI, ſingularia in Hiſtoria Haſſiaca ſcripta eruditiſſima notiora ſunt, quam ut præfationem illis grandiorem reddere liceat. Hersfeldenſium denique rerum Antiquitates Clar. KUCHENBECKERUM eſſe molitum, ex ejus Epiſtola ad D. Eſtorem ſcripta, atque Gieſſæ 1728. 4. edita conſtat.

§. 23.

Ad Topographiam Haſſiæ quæ faciant, Illuſtris STRUVIUS in ſelecta Bibliotheca Hiſto-

ſtorica ſic ſatis expoſuit p. 614. cui celeberrimi JurisConſulti ESTORIS Decerpta ex Geopraphia Veteri HAſſiæ & nonnullorum viciniæ locorum, in Analectis, omnino addenda. HAſſiam Eruditam tam multi ſcripſerunt cecineruntve, ut omnes cognoſcere non licuerit. Transdere placet hunc cenſum alicui, cujus HAſſiaca Hiſtoria negotium, non otium eſt. Id tantum hic adducere lubet editam ante aliquot tempus COLLECTIONEM ſub titulo: *Kurtze Hiſtorie der gegenwärtigen und ehemaligen Gelahrtheit der Heſſen*, per nonnulla Trimeſtria continuatum, ſed quod ſciam, nunc quieſcentem, aut plane intermortuam. HAſſiæ foſſilia, Antiquitates, fodinæ, ſalinæ & alia id genus in S. R. LIEBKNECHTI VVetteravia ſubterranea magnam partem recenſentur. De urnis HAſſiacis agunt Dn. SCHMINCKIUS Diſſ. de urnis ſepulchralibus & armis lapideis veterum Cattorum, Marp. 1714. 4. & WEBERUS. Oſtentant etiam de ſepeliendi ratione & aliis id genus nonnulla DILICHIUS & WINCKELMANNUS in Haſſiæ deſcriptionibus. Numos Haſſiacos explicavit S. R. *Joh. Georg.* LIEBKNECHT in Epiſtola ad B. Abbatem SCHMIDIUM, de nonnullis Bracteatis nummis Haſſiacis deque iſtorum uſu in locis Rheno, ſic

&

& Franconiæ vicinioribus. Helmſt. 1716. 4. excuſa cui Bina Sanctarum Eliſabetharum in Haſſia memoria, præclaris rerum monumentis ac nummis declarata, Diſſertationis habitu 1729. 4. ſucceſſit. In omnium etiam manibus eſt B. *Chriſtiani* SCHLEGELII de Nummis Abbatum Hersfeldenſium Apoteleſma Gothæ 1724. 4. ubi itidem Tab. ult. Bracteatos Haſſiacos tueri licet. Hic auctor ſi vitam diutius produxiſſet, quod obiter noto, *de Abbatibus* Hersfel*denſibus* magnum opus editurus erat, nunc in Bibliotheca Ducali Gothæ aſſervatum. Hujus is libellus Pars, & quaſi Prodromus. Extra controverſiam vero erudite ſatis ſcriptus, atque me arbitro, omnibus reliquis Schlegelianis palmam præripit. Palatia Regalia in Haſſia, regionibusve ei parentibus ſita nemo explicavit, pertinet tamen huc Clar. *Ioh. Iac.* HOMBERGK Diſquiſitio MSC. *von der ehemaligen hochberühmten Pfaltzſtadt Tribur im obern Rhingau*, de quibusdam aliis autem, ab AMICO ſuo tempore disquiretur.

§. 24.

Religionis habitum & Jus Sacrorum in Haſſia, quod attinet, legenda Conſultiſſ. SCHMINCKII Diſſ. de cultu religioſo arbo-

boris Jovis, præſertim in Haſſia, Marpurg. 1714. 4. ut & altera de Antiquitatibus Fritislarienſibus. Marp. 1715. 4. nec non tertia de Epiſcopatu Buraburgenſi, Marp. 1717. 4. Sequitur Clar. AYRMANNI Diſſertatio præliminaris de Notitia Monaſteriorum & Eccleſiarum Haſſiæ Veterum, quamprimum licuerit evulganda. Giſſ. 1728. 4. cujus etiam *Einleitung zur Heſſiſchen Kirchen-Hiſtorie* parata eſſe traditur. S. R. LIEBKNECHTI de Evangelicæ Veritatis ante Reformationem, præſertim Seculo XV. in Haſſia Confeſſoribus Diſſertatio, Giſſæ 1728. 4. EJUSDEM de Henrico de Haſſia, Sanctis Eliſabethis, & aliæ Commentationes. Pl. R. *Georgii Clementis* DRAUDII, haud vulgaris eruditionis, quique Academiæ reddi mereretur Theologi, Annotationes ad Franciſci Lamberti Avenionenſis Epiſtolam ad Colonienſes Colloquii Anno P. C. N. 1526. Homburgi in Haſſia habiti Hiſtoriam ſummatim exponentem, Giſſæ 1730. 4. integram ferme Reformationem Haſſiæ ad puriora ſacra ſiſtere deprehendis. *Helvici* GARTHII *gründlicher Bericht von dem Religions-Weſen in Heſſen. Wittenb.* 1606. 4. & *Henrici* LEUCHTERI: Antiqua Heſſorum fides & vera,

das

das iſt: *Hiſtoriſcher Bericht vom alten und vvahren Glauben oder Religion der Heſſen*, ſive: *Evangeliſches Chronicon, daß im Heſſiſchen die Zvvingliſchen niemal gedultet vvorden.* Darmſtad, 1607. & 1620. 4. ſcripta ſunt rariſſima, queis Saxonici & Darmſtatini Theologi contra Caſſellanos, Reformata Dogmata ſecutos, depugnarunt. Dabunt plura ad hunc locum hæcque litigia ſpectantia, *Die Heſſiſche Wechſelſchrifften*, aliæque Deductiones paulo poſt editæ, quarum rubra vide apud LUNIGIUM in Bibliotheca Deductionum ſub titulo: *Heſſen.* Sunt mihi ad hunc locum ſpectantia Acta non pauca MSCta, inprimis etiam quæ ob FORMULAM CONCORDIÆ Bergenſem Guilielmo Haſſiæ Lantgravio Caſſellanæ partis à Deputatis propoſita, atque ab hoc Principe regeſta ſunt. Multa vero imo plurima huc ſpectantia invenies apud Virum, cui multa debet Germania, *Johannem Georgium* ESTOREM in Delineatione Juris Publici Eccleſiaſtici Proteſtantium exhibente Jura & Beneficia Auguſtanæ Confeſſionis eique addictorum, Francof. & Lipſ. 1732. 4.

§. 25.

Statum Haſſiæ Publicum quod concer-

nit, offert ſe jam prædicati *Johannis Georgii* ESTORIS ſpecimen I. de Statu & Origine Lantgraviatus Haſſiæ, monumentis ineditis illuſtratum, & Diſſertationis & Tractatus forma editum Giſs. 1729. 4. Adde huc EIUSDEM de antiqua Haſſiæ formula disquiſitionem *in Tom. II. Analect. Haſs.* pag. 347. ſqq. Laudantur etiam hic quæ Illuſtris Cameræ Aſſeſſor KREBSIUS, dum in Haſſiaco erat ſervitio de terris Darmſtatinis, præcipue Superioris Haſſiæ conſcripſerat. Imo apud amicum extare novi inſignem faſciculum, Haſſiæ Inferiori intentum, hoc titulo & capitibus inſignem.

BESCHREIBUNG
Des Niedern Fürſtenthums HESSEN, und anderer Heſſiſchen Graf- und Herrſchafften.

REGISTER.

Gräfl. Lehen, des Nieder-Fürſtenthums Heſſen.

Adel. Lehen des Nieder-Fürſtent. Heſſen.

Lehen Leut, der Nieder-Grafſchafft Catzenelnbogen.

Lehen-Leut der Herrſchafft *Pleſſe.*

Forſt-Buch.

Dorff-Buch.

Uber-

Ubertreffen aller Aembter.
Schvvein-Mast.
Schäfferey.
Teiche der Nieder-Grafschafft.
Forellen Wasser.
Jagd Ordnung.
Land-und Wasser Zolle.
Ungeldt.
Trifft Geldt.
Saltzvverck.
Ackerbau.
Fruchtmaass Vergleichung.
Zehenden und eigen Gevvächs.
Steuer-Register.
Tranck-Steuer.
Mess Geld.
Ambts-Gefäll.
Hof*stand.*
Mess-Anschlag.
Hof *Ordnung.*
Culinaria.
Speiss Ordnung.
Hof*stands-Anschlag.*
Fürsten-Lager.
Provianden.
Deputat vor die Kost.
Brodbacken.
Weckbacken.
Frucht-Verkauff.

Weinausschenck.
Conferirung der Eiche.
Müntz-Handel.
Mechanica.
Wahren-Anschlag.
Kriegs-Sachen.

De Feudis Hassiacis nonnulla apud LUNIGIUM, Vasallorum vero Catalogus in *Wilh.* DILICHII Hess. Chron. P. I. p. 145. sqq. exhibetur. Adde huc, quæ *Prodromi Juris Feudalis* p. 79. §. 20. de his Feudis disseruimus. Plura vero eundem locum ornantia, postmodum in Domini ESTORIS P. IV. & V. *Derer auserlesenen kleinen teutschen Schrifften* comparuerunt. Ad reliqua Statum Publicum concernentia me recipio. Hic Deductiones in LUNIGII Bibliotheca Deductionum voc. *Hessen* percensitas, HORTLEDERI, LUNDORPII, FABRI, aliorumque Actorum Publicorum Collectiones multum profuturas, vel me tacente nosti. Advoco etiam huc GASTELIUM de Statu Publico Europæ, *Imhofii* Notitiam Procerum, SPENERO in Opere Heraldico dicta, SCHWEDERI Theatrum Prætensionum, ZSCHACKWITZII *Rechts-Ansprüche*, B. G. STRUVII *Einleitung zur Wissenschafft derer Staaten in Teutschland*, PFEFFINGERUM ad Vitriarium, aliosve Juris Publici specialis scriptores. Jura Hassiæ in Wetzlariam præter antiquum illud satis notum explicat novum scriptum sub titulo: DEDUCTION *der dem Hochfürstlichen Haus Hessen-Darmstatt bey und in der Kayserlichen Reichsstadt Wetzlar zustehenden Regalien* 1727. *fol.*

Sub-

Subjectionem territorialem Ordinis Teutonici asserit: *Rechtliche* Deduction, *der von den durchlauchtigsten Herrn Landgrafen von Hessen-*Darmstatt, *über die in dero Fürstenthum und Landen befindliche, dem teutschen Orden zugehörige Güther, und darauf wohnende Personen hergebrachten Superioritæt, und davon dependirenden hohen Jurium* 1726. fol. Quam vero DEDUCTIO *von dem uhralten Reichs und Koenigsforst zur Dreyeich und dabey gelegenen Jagdt-Pallast Hagin &c.* huc spectet dicere non habeo, cum eam nunquam viderim. Jura Hassiaca in Brabantiam Dissertatione præliminari excussit *Henr. Ernest.* KESTNER Rintel. 1709. 4. quam postea ulterioris Deductionis titulo ibid. 1712. 4 longe auctiorem, omissa tamen Epistola Leibnitiana, priori Editioni adhærente, dedit. Pertinent itidem huc in Analect. Hass. Tom. I. exstantia. Ad Jus primogenituræ, Apanagii Paragiive formulas in Hassia quod spectat, multa dicta scriptitatave sunt; calamum imprimis hic exercuere B. HERTIUS, THOMASIUS, SCHILTERUS, WAHLIUS, LOMBARDIUS, quos in Bibliotheca Juris Illustris STRUVIUS stitit, magnam vero partem Operi suo, auctor Jurium Apanagialium Collectionis, intulit. Impressas vero hac in causa Deductiones suo tempore percensebo, nondum enim omnes usque huc oculis usurpavi. Magnam vero lucem rebus Hassiacis & Juri Publico hujus Provinciæ speciali inferre potuisse COLLECTIONES DIPLOMATUM in Bibl. Uffenbach. p. 229. n. 43. 44. 45. Tom. III. recensitas, αὐτόπτει crede, & vel ex censu in majore Catalogo instituto, disce. Ad Legum ferenda-

f 3

darum poteſtatem in Haſſia varia occurrerent, poſſent etiam de Judiciis plura dici. Sed non omnia longe à Haſſia degenti ſunt ad manus. Dabimus tamen cum Deo & die in THEMIDE GERMANICA, ubi Jura patriæ univerſa, eorum fata, aliaque trutinabuntur, amplos Ordinationum, Statutorum, Legum Provincialium & huic loco convenientes cenſus. Id tantum hic profero, promiſſam nuper J. J. HOMBERGK V. C. Commentationem de diverſo Vogtejæ & Centenæ Jure in Haſſia ex MSCto. MALCOMESII vero Deciſiones fori Haſſiaci, varia HERTIANA, WALDSCMIDIANA, ESTORIANA, huc facientia, quis non novit? De Inſignibus Haſſiacis egit D. ESTOR *in der Probe einer verbeſſerten Heraldic* ἀνονύμως 8. edita, ut & B. WEBERUS Diſſ. de Inſignibus Heraldicis Giſſ. 1711. & 1712. 4. necnon Examini Artis Heraldicæ annexa. Titulos expoſuit tum Conſult. WALDSCHMIDIUS in Diſſ. de mutatione Inſignium & Sigillorum, tum etiam id ALII obiter egerunt.

§. 26.

Ad ſubditos Haſſiæ eorumque diverſam conditionem tandem deferor. Conquires de iis varia in HERTIANIS, WALDSCHMIDIANIS, ESTORIANIS & ANALECTIS HASSIACIS. Separatim exſtantem citari video Hiſtoriam Nobiliſſimæ Dalvvigiorum gentis, quam *David* NETTELBERG conſcripſerit (Analect. Haſſ. P. II. p. 420.) nec plures in præſens occurrunt, ni quoad operas ruſticorum B. Cancellarii *Hermanni Dithmari* GROLLMANNI, Præceptoris & cognati mei Diſſerta-

ſertationes de operarum debitarum præſtatione, cum præfamine D. ESTORIS huc vocare velis.

§. 27.

Antequam vero hinc abeam VICINARUM TERRARUM HISTORIAS Haſſiacæ multa admodum adminicula præſtare non obliviſcar, inprimis vero THURINGIÆ & WETTERAVIÆ Scriptores. De *Moguntinis*, *Paderbornenſibus*, *Brunovicenſibus*, *Naſſovio-Cattimelibocenſibus* & *Saræpontanis*, eadem mens ſedet, quo & *Fuldenſes* refero, imo hos ultimos & primos peculiares ob cauſas, omnibus ſatis cognitas. *Brabantinam* & *Lotharingicam* vero rerum geſtarum ſeriem nec hic minimi uſus fore, genus Landgraviorum hodiernum in luce ponit. Diverſas quoque COLLECTIONES DIPLOMATICAS, PerIlluſtris Domini DE GUDENUS, B. JOANNIS, LUNIGII Archivium, SELECTORUM meorum Tomos I. II. nec non alias id genus farragines, huc ſpectare, vel me tacente intelligis. Hæc pro amore in Haſſiam, pro mea tenuitate! Dare vero licuiſſet plura & magis curata, ſi quos ſubſidia rogaveram, adeſſe voluiſſent. Cum tamen ex binis inſignibus Germaniæ Bibliothecis huc facientia promiſſa ſint, dabitur alibi ſupplendi locus, nil enim niſi egregium inde exſpectare licebit.

§. 28.

Ni alia conſilium mutare cogant, fiet id D. V. in præfatione *Tomi IV. Selectorum*, ubi iterum HASSIACORUM aliquid invenies. Præter illa autem Amœbaea *tres faſciculos* complentia.

(4) Obſervationes COLLECTORIS ad ſelectorum Tomos tres priores.

(5)

(5) EJUSEEM Supplementa Juridico-Hiſtorico-Diplomatica ad Opusculum de exceptione Juris Germanici, qua Evocationes in Germania illicitæ dicuntur.

(6) EJUSDEM Opusculum de monetariis Germaniæ & Moneta Francofurtenſi, cum fig.

(7) Diplomatarium Francofurtenſe templi omnium ſanctorum, c. not.

(8) COLLECTORIS Disquiſitionem de negatæ feminis in feodis & allodiis ſucceſſionis in antiqua & partim media Germania quousque maſculi exſtabant cauſis, cum Codicillo Diplomatico, aut ejus loco OPUSCULUM de Exceptione Status rei mutati Theoretico-Practicum.

(9) COLLECTORIS Opuſculum de exemtione Comitum Imperii à teloneis præſtandis.

illic deprehendes, ubi præcipue id dabo operam, ut quantum id pote, dicam proferamque antehac incognita. Cæterum quod in Tomi I. præfamine dixi, hic repeto, eosque queis monimentorum copia eſt ſubſidia rogo, daturus ſedulo operam, ne quæ ab aliis huc conferuntur, atque beneficii auctorem, Eruditi ignorent. De Lectoribus autem meis plane perſuaſus ſum, fore ut quo priores, eo & hunc Tomum favore proſequantur, vitiaque typographica, abſentiæ meæ à loco impreſſionis teſtes, æquo ferant animo. Dab. Dhun. Kl. Martiis

clɔlɔcc xxxv.

I. FLO-

I.

FLORES.

AD HISTORIAM.

GERMANICAM.

ET.

GALLICAM.

SPARSI.

IN. DEMONSTRATIONE.

ORIGINIS. LVDOVICI. BARBATI.

Haſſiae. Lantgravii. Thuringici. Comitis.

CAROLINGICO - FRANCICO - STAVFENSIS.

Opus.

HENRICI CHRISTIANI SENCKENBERG.

PROLOGVS.

PLerarumque Gentium Serenissimarum, queis nostro ævo paret Germania, Origines in obscuro latere, apud omnes in confesso est. Nec mali fontes latent, partim in Historicorum ævi medii incuria, partim vero parvis initiis, a quibus ferme quæque ad eam magnitudinem, qua nunc conspicua est, sensim sensimque crevit, collocandi. Priores tempestatum, spectrorum, ominum & ostentorum cœlestium, magis quam Genealogia-

rum curioſi, nec poſteritatis ultra modulum ſibi propoſitum rationem habentes, usque ad ſeculum XIV. circiter, non niſi maxima, quæque omnes ſcire intererat, notarunt. Hinc evenit, ut cunctæ ferme Genealogicæ notationes, alias quam Auguſtas gentes concernentes, (ſi à vitis Sanctorum aliquibus paulo antiquioribus, & Annaliſta Saxone, Alberico, Genealogia B. Arnulphi aliisve paucis abeas) recentioris ſint ævi. Quod ipſum etiam Illuſtriſſimæ Lantgraviorum Thuringiæ propagini, tot terrarum olim Dominæ accidit, cujus quippe nemo ante ſeculum XIV. ferme rationem habuit. Cum vero hi ſeculorum ab origine remotiorum ſtemmatographi, nihilominus eam indagare, resque geſtas ex traditione, ve-

ris

ris luminibus destituti recensere conarentur, evenit, ut multa in priore Thuringica familiæ Ludovicianæ Historia incerta, confusa, opis indigentia appareant. Nonnulli id præterea & inde factum existimant, quia eam à parvis initiis crevisse, nec in principio statim hoc sole calescere potuisse constet, qui onus scribendæ Historiæ suscepturi erant. Evergetas enim Musæ volebant, licet squalidæ, licet medii ævi. Scimus quo pacto Thuringicus Landgraviatus coaluerit; qua ratione Hassiacus itidem patet, quin vel ex actis inter Nassoicos & Philippum Magnanimum, in Nicolai *Everhardi* Junioris Consiliis, & Francofurtensibus Johannis Baptistæ *Cæsaris*, præcipue vero his reperiendis, notissimum est. At & hoc

hoc inde, quinimo ex P. R. SCHANNATI Chartulario Reinhardsbornenſi, & noſtro opuſculo præſente conſtabit, vel ſic hoc Principum genus ab originibus ſatis potens fuiſſe, ut ſcriptorem mereretur. Potius ergo in rudi eorum temporum ſecta, unicè ſubſiſtemus, hancque meritis proſcindemus convitiis. Deo gratiæ, qui noſtrum ævum majore luce beavit; poſtquam enim tantum ſcriptorum ancedotorum, tantum Diplomatum, tantum chartarum prorupit, & cottidie è carceribus emittitur, ut in aliis ita etiam Thuringica Principe gente extricanda, majores atque avorum ævo, ab his ſubſidiis innixis, progreſſus facti. Verum cum omnia ſparſim colligenda ſint, & jugis nexus defiat, vix certa ratio-

ne

ne ſed conjecturis aſſequendus, neceſſum ſane fuit, ut non omnes id quod volebant, veritatem nimirum aſſequerentur, ſed in multis hæſitarent. Profecto quamplurimis id accidiſſe, hoc opuſculo ante annos jam confecto, nunc reviſo, nonnullisque Juri, Hiſtoriæ & aliâs commodaturis ſimul inſertis aucto, demonſtrare annitemur, cui opellæ quisque pretium ſtatuet pro lubitu. Facile enim fero eos qui me erraſſe dicunt, quod ipſe mihi ſumo, cenſendi nimirum libertatem, aliis ex nota Lege, *quod Tibi vis fieri, alteri feceris*, non invidens. Carpes ergo libere, ſed non ſine ratione, imò ſi & id addere licet, absque rancore. *Ego enim*, ſi Ciceronis verba mea facere auſim, *ut potui explicavi, nec tamen quaſi Pythius Apollo*

certa ut ſint & fixa quæ eruero, ſed ut homunculus unus è multis, probabilia conjectura ſequens, ultra enim quo progrediar, quam ut veri videam ſimilia, non habeo. Ordo ſervandus talis erit: Dicemus (1) de Scriptoribus, Ludovici Barbati parentum curam agentibus, (2) Origine ejus ſictitia Lotharingica, (3) Arelatenſi, & Aurelianenſi, (4) Haſſiaca B. Eccardi, (5) Itidem Haſſiaca aut Wetteravica variorum, (6) Suevica aut Alſatica Tenzelii, (7) Franconicæ Auguſtæ gentis ortum in aprico ponemus, adque hanc rectius excolendam, (8) plurimis Acceſſionibus Hiſtoricis obiter ſuppeditatis, tandem (9) ab ea Ludovicum noſtrum originem traxiſſe demonſtrabimus. Nunc ad rem!

CAPUT I.

De Scriptoribus antiquioris & recentioris ævi, hoc Historiæ caput illustrantibus.

ICHNOGRAPHIA.

De Scriptoribus Originis Ludovici Barbati, Anonymo Reinhardsbornensi, Anonymo Erfurtino, Sifrido Misnensi, Paulo Langio, Variis Chronicis Thuringicis, Blondello, Gundlingio, Hartmanno, Domino Estore, Ayrmanno aliisque disserit ac judicat.

MUltum interest, mea quidem sententia, cujusque Historiæ fontes nosse, unde & hic aliquid de iis, addito censu. Quantum ergo nobis constat, reliquos qui de Landgraviis Thuringiæ ex professo,

quod ajunt, ſcripſerunt, ætate pariter ac auctoritate præcellunt DVO ANONYMI, primum quidem à Johanne PISTORIO, in calce Tomi unius Scriptorum Rerum Germanicarum, (a) poſtmodum vero à B. ECCARDO in Hiſtoria Genealogica Ducum Saxoniæ Superioris (b) & Illuſtri STRVVIO hujus Exemplar ſecuto, in nova Editione Scriptorum Piſtorii, auctius atque emendatius in publicum emiſſi. Horum alter, apud Eccardum prior, Piſtorio vero Editionis ordine poſterior, nos certiores reddit, ſe Friderico Gravi & Strenuo inter mortales agentibus, in monaſterio Reinhardsbornenſi breves hoſce Annales contexuiſſe: (c) Alter vero Hiſtoriam ſuam apud Piſtorium quidem adusque annum MCCCCXXVI. apud Eccardum vero MCCCCXXX. perduxit, unde collectu haud difficile eſt, diverſas haſce editiones, præſertim cum in nonnullis diſcrepent, plurium auctorum induſtriam ſenſiſſe. Vtrumque incertum ac Barbarum dixit Hiſpaniæ Vindex CHIFFLETIVS, (d) eo lapſus, quod prio-

(a) edit. prior. p. 908. & 956.
(b) p. 346. & 351.
(c) præfat. in fin.
(d) Lampad. ad Vindic. Hiſp. p. 50.

priorem Eccardo, ad annum tantum MCC-LIII. Hiſtoriam ſuam producentem Seculi XIII. ſcriptorem crediderat, cum tamen ipſe aliud in præfamine fateatur, in calce vero de iis quæ poſtea accidiſſent, apud alios inquirere ſuadeat. Nos quidem id Chiffletio facile largimur, Scriptores hoſce ab aliis quibusdam res Germanicas exponentibus multis paraſangis relinqui, imo nonnunquam falſa veritati interſpergere; verum qui inde probabitur, eos plane incertos eſſe? B. certe TENZELIVS Reinhardsbornenſem illum Monachum magnifacit, (e) eo præſertim in loco exiſtentem, ubi Ludovicus Barbatus initio ſedem fixerat, terminosque poſſeſſionis ejus vel ideo optime callentem, quod iidem, primis parentis in Thuringia fortunis, Ludovici Salii Barbati filii liberalitate, cum regiis Conradi & Henrici Diplomatis, Monaſterio huic oblatis, (f) Reinhardsbornenſis poſſeſſionis termini facti erant. Sint itaque bardi, ſint barbari, domeſtici, & eorum quos habemus, optimi ſunt. Certe ſi (quod unicum Chiffletius affert) omnes qui in medio ævo Ge-

(e) ſupplem. II. Hiſt. Goth. p. 413.
(f) *Tenzel.* l. c.

Genealogias longius à ſuo tempore remotas parum calluerunt, aut à Trojanis & Romanis ſtipitibus, (quod quippe tum ingens gloria) derivarunt, fide indignos judicare vellemus, næ nobis pauci medii ævi Scriptores reliqui forent. DIPLOMATIS CONRADI II. & HENRICI III. majorem fidem adhibendam eſſe ſponte largior, quod ad originem Ludovici in tantum, quantum his concordant, nec ultra id genus Scriptoribus innitens, qua in ſententia & B. Eccardum fuiſſe exiſtimo. Proferam ego infra ſpeciminis loco EXCERPTA ex MANVSCRIPTIS quibusdam & in *Analectis Haſſiacis* nec non apud Illuſtrem STRVVIVM proſtantibus CHRONICIS Thuringicis Haſſiacisve, queis, licet itidem domeſticis, non amplior apud me auctoritas. SIFFRIDVS MISNENSIS Presbyter Epitomes ſuæ an. MCXL. apud *Piſtorium* (g) Ludovici Barbati primordia & incrementa perſtingens meruit, ut & hic in cenſum veniret. Vidi ego in adverſariis *C. S. Schurtzfleiſchii* aliud Siffridi Exemplum MStum quod Dresdæ lateat excitari, num vero hoc certiora atque typis expreſ-

ſum

(g) Tom. unic, p.692. edit. antiq.

ſum doceat, (*) ſcio cum aliis. Nec ab hoc choro arcendus *Paulus* LANGIVS (h) reliquis licet recentior, cætera domeſticus, & dum vivebat, magno Trithemio, omnis antiquitatis indagatori, amicus ſcriptor. Laudat paſſim Tenzelius MSTVM GERMANICVM, quod ERFVRTENSE vel Iſenacenſe vocat, (i) cujus tamen ætas, ipſo reticente, nos latet. Laudatur eidem LEGENDA BONIFACIANA, quam nunc B. *Menckenius* (k) integram edidit. Sunt, non ignoro, multa alia MSSTA CHRONICA Thuringis, verum pleraque recen-

(*) Scribit quidem Schurtzfleiſchius, notatu digna ei ineſſe, ſed plurimas ob cauſas non expedire, ut id prælo committatur, adeoque quis & hoc in caſu nonnulla ſperare poſſet anecdota. Sed à viro harum rerum gnaro, qui Lipſienſe Sifridi MStum inſpexit mihi relatum, ſiquidem Dresdenſe ab hoc diverſum non ſit, nil inde nec in his nec in aliis opis ſperari poſſe, cum parum præter edita contineat notatu dignum, farraginem vero inutilium, *Fabricius* optimo conſilio reciderit.

(h) Chron. Citiz. ap. *Piſtor*. Tom. cit. p. 771. ſeq.

(i) e. g. p. 417. p. 422. l. c.

(k) Tom. I, p. 834. ſqq.

recentiora, fabulas fabulis, absque idoneo teſte, cumulantia. Impreſſa opera BANGII, BINHARTI, POMARII, SPANGENBERGII, BROWERI, PFEFFERKORNII, SAGITTARII aliaque, ſponte heic prætereo, data occaſione nihilominus adducenda, aut confutanda. Potius illorum memor, qui aut novas de origine Lantgraviorum opiniones commenti, aut alicujus nominis defenſores, ab aliis traditarum originum fuere. BLONDELLVM puto atque Illuſtrem apud Halenſes, dum vivebat GVNDLINGIVM, cui ejus opinio robur animamque fere debet. Sub horum ſignis plerumque militat *Johannes Adolphus* HARTMANN Vir Clariſſimus, in Oratione Hiſtoriæ Haſſiacæ Parti I. præmiſſa, qua originem Ludovici Barbati evolvit. Longe diverſam vero viam tenent Vir JurisConſultiſſimus nobisque amicitia junctus *Johannes Georgius* ESTOR, huncque prope ſecutus *Johannes Fridericus* AYRMANN Vir doctiſſimus. PISTORIVS & BVCELINVS, PerIll. Dn. DE LVDOLFF, ECCARDVS, KOEHLERVS, TENZELIVS, TOLNERVS, JVNCKERVS, STRVVIVS, KVCHENBECKERVS, FELLERVS, reliquive noſtri Ludo-

vici

vici aut majorum ejus incidenter tantum mentionem habentes, ſuo loco & ordine pariter ſub examen vocabuntur. Laudabimus tum quemque ex merito, nunc rem ipſam capeſſere juvat.

CAPVT II.

Sententiam de origine Ludovici Barbati Lotharingica expendit.

SVMMA.

§. 1. *Ludovici Barbati originis Lotharingicæ ſtatores percenſet.*

§. 2. *Scriptorum teſtimoniis evincitur, Carolum Lotharingiæ Ducem in carcere procreaſſe filios Ludovicum & Carolum.*

§. 3. *Sententia eorum, qui hos in carcere obiiſſe credunt, proponitur.*

§. 4. & 5. *Blondelli & aliorum mens, Ludovicum & Carolum Hugoni & filio bellum intuliſſe, & longo tempore à vinclis liberos in Gallia ſub-*

ſubſtitiſſe docens, ad longum relata, evertitur.

§. 6. *Auctores pro Ludovici & Caroli fatis in carcere acceleratis, afferuntur.*

§. 7. *Continuatio, eos Germaniæ ac Thuringiæ nunquam illapſos, multis argumentis in luce ponens.*

§. 1.

QVamvis Eruditi nullam gentem Europam alere, quæ à Carolo M. per virilis ſexus progeniem ſanguinem ducat, dudum tradiderunt; viſi tamen ſibi ſunt SAMMARTHANI fratres rem acu tetigiſſe, ſi Ludovicum, Caroli Lotharingi filium, Thuringicæ & Haſſiacæ Principum propagini communem darent ſtipitem. (a) Applaudebant invento Germani, Haſſiacæ gentis inprimis ſervitio addicti, (b) verum cum mox probationes deficere intelligerent, magis ſolida quærere ceperunt. Inventus eſt Vir ſuo ævo doctiſſimus *David* BLONDELLVS, qui ruentem Machinam ful-

(a) dans ſon Hiſtoire Genealogiq. de la maiſon de France Tom. I. Lib. 4. pag. 226. lit. LL.

(b) *Dieteric.* Breviar. Hiſtor. p. 299. alii.

fulciret. Cum enim *Chiffletium* Ludovici in Thuringiam adventum oppugnantem invenisset, suarum partium esse putavit, & hanc ejus assertionem elumbem reddere. (c) Secutus Virum fuit, magnus Criticæ Baronianæ auctor *Antonius* PAGI, id inprimis adstruendum sibi sumens, Ludovicum, cum aliquantisper irrito conatu cum Hugone Capeto de regno decertasset, fuga ad Conradum Regem Germaniæ sibi consuluisse. (d) Horum & vestigia legit, & sententiam suopte ingenio, quo summo pollebat, pluribus argumentis firmatam distincte proposuit, in Vita Magnus, nunc Beatus GVNDLINGIVS (e). Cujus cogitata sua fecit, & quod supra dixi, paucula de proprio addidit, HARTMANNVS (f). Hactenus de opinationis hujus statoribus, nunc ut eo rectius circa hoc argumentum versemur, pace Tua, Lector, prius Caroli Parentis infelicem casum, deinde Historiam filiorum ab eo editorum, ruspabimur.

(c) Geneal. Franc. plen. assert. p. 34. sq. & p. 251. sqq.

(d) Tom. IV. ad an. 990. n. 7. p. 59.

(e) Neue Bibl. XXII. st. p. m. 146.

(f) in Orat. Hist. Hass. præmiss.

§. 2.

CAROLVS Ludovici Vltramarini & Gerbergæ Henrico Aucupe natæ filius, Lauduni DCCCCLIII. in lucem editus, Ottonis II. beneficio A. C. DCCCCLXXIX. fratre invito ac reclamante Lotharingiæ inferioris, (vulgo de Lothier) Dux dictus, (a) post Ludovici V. Franciæ Occidentalis Regis fata, paternum solium conscensurus, Hugonis Capeti, quem Galli Regem dixerant armis technisque, regno pariter ac libertate excidit. (b) Nos ne longiores æquo simus, ultima tantum ejus, ut propius ad nos spectantia, filiosque in carcere natos, ex mente ejusdem ævi, aut tamen domesticorum scriptorum, scrutabimur. NANGIUS Chron. an. 990. (c) *Hugo*, inquit, *Rex Francorum, collecto exercitu valde copioso, Laudunum urbem ubi manebat Carolus Dux Lotharingiæ cum uxore sua filia Heriberti Comitis Trecarum obsidere*

(a) Freres *de Sainte Marthe* l. c. p. 225. *Calmet.* Hist. de Lorraine Tom. I. p. 923.

(b) Vid. *Chifflet.* Vindic. Hisp. p. 35. seqq. *Blondell.* l. c. p. 281. sqq. latè.

(c) *du Chesne* Scriptor. Histor. Franc. Tom. II. p. 628.

ſidere decrevit. Sed cernens, quod civitas vi asſultuum inexpugnabilis eſſet, conſilium habuit cum Anſelino traditore vetulo Laudunenſium Epiſcopo, qui erat Conſiliarius Caroli Principis. Is enim Anſelinus Epiſcopus, nocte quadam cunctis quieſcentibus, Hugoni regi portas aperuit; Et tunc captus & vinctus Carolus, cum uxore ſua poſitus fuit à Rege Hugone Aurelianis in carcere, ubi & tandem mortuus eſt. Habuit autem Karolus iſte duos filios, Ludovicum ſcilicet & Carolum, & duas filias Havvidam (rectius Gerbergam) *& Ermengardem. Ludovicus ſucceſſit patri in Ducatu Lotharingiæ. Ermengardis vero nupta fuit Comiti Namurſiæ* &c. Hæc Nangius, qui tamen Ottonem cum Ludovico confundit; ſucceſſiſſe enim parenti Ottonem in Ducatu Lotharingiæ, notius eſt, quam ut probatione egeat. (d) Audiamus ſaltem coævum ÆGIDIUM S. Trudonis Abbatem canentem:

(d) *Alberic.* Chron. ad an. 990. ap. *Leibnit.* Acceſſ. Hiſt. *de Roſiercs* Stem. Lothar. & Bari Duc. f. 201. a. Tom. IV.

Sic tua res agitur, Dux Karole, ſicque Ducatum
Lotharicum perdis, dum tua regna petis:
Filius OTTO tamen, tibi Dux ſuccedit in illo,
Quem ſibi confirmat, imperialis apex. (e)

Poſt Nangium audiendum erit FRAGMENTUM HISTORIÆ FRANCORUM EX MEMBRANA FLORIACENSI: (f) *Carolus autem*, inquit, *captus, poſitus in carcere in Siluanectenſi urbe, ubi genuit Ludovicum & Carolum, qui mortuo patre pulſi à Francia, ad Imperatorem Romanorum confugerunt.* Ab hac relatione ne tantillum quidem abit FRAGMENTUM HISTORIÆ AQUITANICAE, (g) his verbis: *Hac de cauſa Epiſcopus montis Laudunenſis Aſcelinus ebdomada majore ante Paſcha, in qua eſt cœna Domini velut Judas*

(e) adduct. *Chifflet.* Lampad. ad Vindic. Hiſpan. p.5. & *de Roſieres* l. c. f. 195. a.
(f) ap. *du Cheſne* Tom. II. p. 634.
(g) ap. *du Cheſne* Tom. II. p. 635.

das Christum, & ipse tradidit Carolum. Qui Aureliani in carcere trusus usque ad mortem, ibi genuit filios Carolum & Ludovicum, & mortuus est. Et expulsi sunt filii ejus à Francis, profectique sunt ad Imperatorem Romanorum, & habitaverunt cum eo. Alius vero CHRONICI, BREVE dicti, ex PETAVIANA, hæc lego: (h) *Manens vero idem Carolus in custodia Aurelianis in turri, genuit ei uxor sua filios duos Hludovicum & Carolum.* Latius hæc narrant EXCERPTA HISTORICA EX LIBRO II. DE VITA S. GENULFI (i) in hanc sententiam: *Et Vgo Dux, filius Hugonis Ducis Rex à Francis elevatus est, Karolus autem captus in Senletensi urbe in carcere trusus est. Et expulsi sunt filii ejus à Francis, & erant morantes apud Imperatorem Romanorum.* Turbam testium consignabo verbis ADEMARI, (k) qui in Chronico suo ita infit: *Regnum pro Ludovico accipere voluit patruus ejus Karolus, sed nequivit, quia Deus judicio suo meliorem elegit. Nam Episco-*

(h) *du Chesne* Tom. III. p. 353.
(i) *du Chesne* Tom. III. p. 464.
(k) apud *L'abbé Bibl.* MSt. Tom. II. p. 167.

Episcopus Ascelinus montis Laudunensis urbis, hebdomada ante Pascha, post convivium in lecto quiescentem eum dolo cepit, & consensu plurimorum Vgo Dux, filius Vgonis Capetii, in Regem elevatus est. At vero Carolus in carcere usque ad mortem retentus est Aurelianis, ubi genuit filios Carolum & Ludovicum, & expulsi sunt filii ejus à Francis, profectique ad Imperatorem Romanorum, habitaverunt cum eo. Iisdem ferme verbis jam dicta effert CHRONICON MALLEACENSE (l), possentque plures exciri, nisi jam eorum satis. Ex adductis enim constat, Caroli conjugem Agnetem, Heriberti Comitis Trecarum filiam, in carcere edidisse filios Ludovicum & Carolum, neque tantum, (quæ Gallorum suo ævo eruditissimi MABILLONII verba sunt, (m)) *dici, Carolum ex ea duos filios Ludovicum & Carolum, in custodia natos, suscepisse.* Restat itaque, ut quid his factum sit, paulo curiosius inquiramus.

§. 3.

(l) Ibid. p.204.

(m) Annal. Benedict. Tom.IV. Lib.XLIX. p.41. de re Diplom. p.43.

§. 3.

Lux Veſontionis ſuæ *Johannes Jacobus* CHIFFLETIUS (a), atque ante eum *Franciſcus* DE ROSIERES (b), *Paulus* ÆMILIUS in Regibus Francorum (c), *Elias* REUSNERUS Sileſius, inter antiquiores Genealogiarum conditores haud incelebre nomen (d), ut & clarum Jurisprudentiæ noſtræ ſidus *Franciſcus* HOTOMANNUS (e) quorumve pene oblitus eram, *Bernard* DE GIRARD (f) & FELLERUS (ff), uno ferme ore aſſeruerunt, non longo interjecto tempore, omnem ferme progeniem Caroli Lotharingi interiiſſe, quod ut doceat Chiffletius ſtare etiam auctoris cujusdam antiqui auctoritate, MA-

(a) Vindic. Hiſp. c.4. p.28.
(b) Stemm. Loth. & Bari Duc. Tom. IV. p.195.
(c) edit. Baſil. p.195.
(d) Geneal. p.196.
(e) Francogall. c.20. p.242.
(f) dans ſon Hiſtoire de France p.287.
(ff) *Feller* Monum. ined. p. 158. qui Pontum Heuterum conſentientem ſibi laudat.

GNUM CHRONICON BELGICUM in ſubſidium vocat, cujus nos verba (g) dabimus integra: *Carolus*, inquit, *ille Princeps glorioſus, qui fuit duodecimus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, in recta linea arboris deſcendendo, genuit ex filia Comitis Trecarum tres filios, videlicet Ottonem, qui poſt mortem patris tenuit Ducatum Lotharingiæ, & Ludovicum & Carolum, qui vivente patre deceſſerunt, & duas filias Gerbergam & Ermengardem.* Talia quidem illi; an vero ejusmodi fundamina juſtæ moli ſuperſtruendæ ſufficiant, hoc opus, hic labor! Magni Chronici Belgici auctor in eorum numero eſt, qui non ex ætate propria, ſed eorum quorum verba excerpta nobis conſervarunt, quoque in loco æſtimandi veniunt; adducit vero heic Chronica Ducum Lotharingiæ, nec auctoris, nec ævi quo vixerit, ullo indicio facto, adeo ut ferme eum, non niſi ex ævo auctoris excerpentis, æſtimare poſſimus. At ne prolixam ſumamus operam ipſe poſterior ſcriptor facit, ſe circa annum ab O. R. MCCCCLXXIV. vitales auras hau-

(g) *Piſtor.* Script. Rer. Germ. Tom. ult. p. 83. ed. vet.

hausisse ostendens (h), quo ipso expeditum est, Chronica quæ laudat Lotharingica, minimum seculo XIV. aut XV. exarata fuisse, utut ea ad antiquiora tempora remittere, vel ideo nulli dubitemus, quia in dicto Magno Chronico Belgico, diu ante hæc secula, eorum nulla amplius mentio occurrit. Sed dabimus Chronica esse seculi XV. non id ad abrogandum scriptori Lotharingo in rebus domesticis fidem mihi sufficit, præsertim cum nesciam, an non, quod sæpe contigit, antiquissimis scriptoribus, monumentisve archivalibus, usus fuerit. At nunc te mihi regerentem audire videor, qui itaque fit, ut tot tantosque errores committat, si alicujus pretii est? Enimvero fateor, ex aliis scriptoribus constáre, Ottonis & sororum matrem non Agnetem sed Bonam fuisse, filiosque patri superstites exstitisse; Attamen nec opinor te adeo in scriptis medii ævi rudem esse, ut coætaneos etiam scriptores interdum hullucinari ignores, dum e. g. Nangius, ne longe hinc abeamus, varie impingit, GENEALOGIA vero B. ARNULPHI paulo recentior & Seculi XIII. filiis Caroli intenta (i), Ludovicum & Carolum

(h) l. c. p. 420.
(i) *du Chesne* Tom. II. p. 643.

rolum plane omittit. Reliqui præter Chronicon Belgicum cum Chiffletio ſentientes auctores recentiores ſunt, qui unde ſua hauſerint, Chronico Belgico Magno, iis temporibus queis plerique ſcripſerunt in lucem nondum edito, vix hariolor, nec conjecturas cuiquam obtrudam. Interim infra me probaturum recipio, omnium maxime probabilem hanc opinionem apparere, imo pluribus antiquorum teſtimoniis firmam eſſe. In præſens de eo inter omnes conſtare ſufficiat, vidiſſe Ludovicum & Carolum parentis ſupremum diem, ex quo dato Chiffletii adverſarii magnas acies ſtruunt, de quibus nunc videndum.

§. 4.

Blondellus certe ut in omnibus, ita & hic Chiffletio acerrime contradixit, & Ludovicum cum pater caperetur fuiſſe grandiuſculum, nec aut ipſum aut fratrem captivitatis tædium ſubiiſſe, quinimo patre in Hugonis poteſtatem redacto, per longam annorum ſeriem avitum regnum ab Hugone armis repetiiſſe, probatum ſe dare poſſe, exiſtimans. Hæc quam longe à ſcriptorum aut ejus ævi aut paulo recentiorum teſtimoniis

niis abeant, ex ſuperadductis eorum verbis, jam patet. Quid vero ad hæc ille? *Nec vere*, inquit, *vita S. Genulfi*, *Hiſtoriæ Aquitanicæ fragmentum*, *Chronicon Malleacenſe*, (quibus & Nangium adjicit) *Carolum Aurelianis in carcere truſum, ibi filios Carolum & Ludovicum genuiſſe volunt* (a). En temeritatem! ſi quidem temeritatis accuſanda eſt ſententia, ex minus recte explicato Concilii an. 991. Jun. 17. & 18. ad S. Baſoli ædem congregati loco, viro ſuborta, quem erroris fontem oculis Lectorum ſubjicere, è re noſtra erit. Eum vero in modum illic Rainerius, Rhemenſis Eccleſiæ Vicedominus, Arnolpho ArchiEpiſcopo: *Neſcis te* LUDOVICI *amorem* FILII CAROLI *cunctis prætuliſſe mortalibus*, *& ſi tibi placere vellem*, *ut de ejus ſalute cogitarem* (b). Hæc verba Ludovicum de Arnolpho jam bene meritum fuiſſe, & contra Hugonem in acie ſtetiſſe innuere credebat Galliæ ſuæ vindex, unde longe à vero abire elicit, quod alii de Ludovico, patri captivo demum nato, tra-

(a) Plen. aſſert. Geneal. Franc. p. 34. 253.
(b) *du Cheſne* Tom. IV. pag. 110. *Harduini* Concil. Tom. VI. Part. I. p. 723.

tradant. Sed ſcire debebat vir doctiſſimus, hos Scriptores, qui ævum de quo nobis ſermo ornarunt, ordinem ſtructuramque ſermonis elegantem, non adeo anxie ſequi, quin potius hic indigitari LVDOVICI (Vltramarini puta) FILIVM CAROLVM, parentem Ludovici noſtri, ut hunc in modum verba inciſis ſint diſtinguenda: *Neſcis te*, LVDOVICI *amorem* FILII, CAROLI, *cunctis prætuliſſe mortalibus* &c. quod genus Conſtructiones adeo multæ alias extant, ut eas afferre velle, foret nihil agere. Potius majoris abollæ aliquid ſuſcipiendum, demonſtrandumque, Hiſtoriarum ſeriem non aliam explicationem, atque nos verbis Concilii dedimus, abſoluta quadam neceſſitate, admittere. Amabo itaque vos, qui Blondello favetis, docete me, num Ludovicus jam, quod dicitis, grandiuſculus, Ottonem naſcendi ordine anteceſſerit, cum ſciamus, hunc, cum pater libertatem amitteret, admodum juvenem fuiſſe? Quid ad hæc vos, non video, ſi enim primogenitus, neceſſario & Bonæ Lotharingicæ filius, & patris in Ducatu ſucceſſor extitiſſet, cum raro, quæ regum noſtrorum benignitas, filii paterno Ducatu privarentur, & ex horum numero ſemper primogenitus ſuccederet.

ret. At inter Bonæ liberos nullibi locum invenit, nec etiam, qui Bonæ liberos tantum recenſet, AVTOR GENEALOGIÆ B. ARNVLPHI (c), ejus mentionem habet! at patri non ſucceſſit, ſed Ducatus ad Ottonem fratrem devolutus eſt! quid itaque? fortaſſis eum Genealogiſta omiſit, fortaſſis ſeria adeo belli Gallici cogitatione diſtentus, de Lotharingia parum anxius fuit? nemo id dixerit. Alia ergo proferenda, quorum princeps equidem foret, Ludovicum cum patre in Hugonis veniſſe poteſtatem, & poſtea evaſiſſe. Sed ne ſic quidem aliquid contra me. Primo enim ſcriptores Caroli dira fata memorantes, filii hujus grandiuſculi nullibi memoriam habent, haud dubie habituri, ſi eadem fortuna tum filiorum aliquem, & quidem arma portantem, manſiſſet. Deinde annus erat ab orbe redemto, cum Carolus Bonam ſibi jungeret, DCCCCLXXXI. (d), annus vero DCCCCXC. quo idem Lauduni Capeto traditus eſt (e). At tempus quo Arnulphus Rei-

(c) ap. *du Cheſne* Tom. II. p. 643.

(d) *de Roſieres* Tom. IV. p. 194.

(e) *Sigebert.* Gemblac. ap. *Piſtor.* d. an. collatus cum *Nangio* ap. *du Cheſne* Tom. II. p. 628.

Reinerio Caroli partes commendabat, incidit aut in annum DCCCCLXXXVII. aut tamen in annum DCCCCLXXXIX. cum id vel ante Lauduni proditionem, vel ante Rhemos minimum à Carolo captos accidiſſe doceant verba in actis Concilii ad S. Baſoli ædem, proxime præcedentia (f): *Neſcis*, inquit Reinerius, *quæ ante urbis traditionem juxta fl. Axonam mihi retuleris* &c. Ponamus ergo nunc, quod alias ſalva veritate fieri nequiret, Bonam matrem agnoſcere Ludovicum, ponamus primo partu editum eſſe, quinquennem aut ſeptennem heroa habebimus, cui ætati, quæ quæſo! de amicis benemerendi aut voluntas, aut facultas? ut adeo nulli non in oculos incurrat, ſi aliud nihil contra Blondellum eſſet, ipſam omnium parentem naturam obſtare, quominus adverſus Hugonem arma ferre, quominus de Arnolpho benemereri, & quod exinde prono fluit alveo, de eo in concilio ad S. Baſoli ædem, ſermo haberi potuerit. Verum non opus eſt ut multa fingamus, ut argumentis artificialibus utamur, quando certum, nos, quod ante demonſtravimus, Ludovicum inter

Bonæ

(f) l. c.

Bonæ liberos quærendo inanem ſumere operam, imo potius magnam teſtium nubem (g), Ludovico matrem Agnetem Trecenſem, locum vero nativitatis non Lothatingiam ſed carcerem dare; quæ omnia tam certa, ut contra ſtare velle, ſit contra ipſam conniti veritatem.

§. 5.

Primo Blondellianæ aſſertionis capite excuſſo, ad alterum perveniendum, ubi ipſe *Antonio* PAGI & B. GVNDLINGIO ſtipatus, quocunque demum caſu id acciderit, negari tamen non poſſe contendit, Ludovicum & Carolum fratres, Hugonem Capetum ſolio regio deturbare anniſos, atque irrito conatu, in Germaniam aufugiſſe. Tantæ rerum geſtarum ſeriei probandæ ſufficere debent nonnulla Diplomata, ubi e.g. legitur: *Actum anno incarnationis Domini MVIII. regnante Roberto, & Ludovico & Carloino*: (a) vel etiam *regnante Chri-*

(g) ſupra § 2.

(a) *Blondell.* plen. aſſert. pag. 257. Addend. p. 94. *Pagi* Critic. Baron. Tom. IV. an. 990. num. 7. *Mabillon.* Ann. Bened. L. XLIX. p. 40. Tom. IV.

Christo, quæ Imperii vacantis formula (*) aut vero: *Anno ab incarnatione Domini DCCCCXCI. regnante Domino nostro Jesu Christo, Francis autem contra Jus regnum usurpante Vgone Rege* (b); Hic fortassis ex Blondello quæras, quid inde conficies? respondet: *Ludovicus & Carolus, obfirmatis in Francia nostra animis, & pedem fixerunt, & fautores suos saltem occultos habuerunt, & regnum toto Hugonis Capeti tempore affectarunt.* Atque ut eo facilius fidem nostram

(*) Interregni hæc formula, cujus quis sensus *Stephanus* BALVZIVS in Not. ad Capitular. Tom. II. p. m. 1535. MABILLON de Re Dipl. p. 201. *Petrus* DE GERVASIO *N. Biblioth.* XXII. st. p. 151. & Pl. Rever. SCHANNATVS in Archivo Fuld. vindicato, evolvunt. Plerumque adhibetur, quod diximus, tempore interregni, nonnunquam vero Rege existente quem talem scribentes nolebant, id quod sæpiuscule etiam accidit Regibus excommunicatis. Videbis hujus rei vestigia in monimentis tempore Philippi I. & II. Franciæ Regum confectis, quæ BLONDELLO tractatum de formulæ regnante Christo in veterum monumentis usu extorserunt, ubi de ea Sect. IV. p. 371. sqq. plenissime. (b) *Blondell.* l. c.

ſtram addamus, aliud Diploma, Guilielmi Aquitaniæ Ducis, qui patri DCCCCXCIII. in Ducatu ſucceſſerat, à *Joanne* BESLY (c) primum publici Juris factum, prodire jubet, cujus calx ita habet: *Regnante Lodovico Rege*; ſubdit Blondellus, Caroli Ducis filio (d); inde uti dictum elicere volens, non modo libertatis, ſed & partis Galliæ, ad tempus compotem fuiſſe Ludovicum. Meo vero judicio tâm operoſa probatione id quidem effecit vir doctiſſimus, ut patri, (non anno DCCCCXCI. ut SIGEBERTVS (e) & VRSPERGENSIS (f), quorum errorem noviſſime etiam CALMETVS (g) erravit, volunt, ſed MI. defuncto (h),) filios Ludovicum & Carolum ad annum usque MVIII. fuiſſe ſuperſtites credamus; ut etiam in ficias non eamus, eis multos Francorum faviſſe. Verum id quo pacto à me obtinebit, ut carcere lapſum Ludovicum, adverſus Hugonem in acie ſtetiſſe credam? Silet hanc rem, certe memoratu admodum

C di-

(c) Hiſtor. Pictav. p. 384.
(d) Plen. Aſſert. Geneal. Franc. p. 37.
(e) h. anno.
(f) d. anno p. 589.
(g) l'Hiſtoire de Lorr. Livr. XVIII. p. 937.
(h) *de Roſier.* l. c. f. 195.

dignam omnis Francorum Hiſtoria, nihil Annales, nihil Diplomata, nihil chartæ conſignationesque aliæ, nihil vitæ Sanctorum, nihil denique ullum monimentum! Ea autem quibus ſua ſuperſtruxit vir doctiſſimus, quid uti jam monuimus aliud, quam optimam Francorum, in Carolum filiosve voluntatem, teſtantur? Suffecit ſane antiquorum Regum ſecundæ ſtirpis progeniei addictis, Ludovicum & Carolum ſupereſſe, ut quamvis libertatem non indeptos, Reges dicerent, ſcriberent. Plane gemina ſententia de Guilielmi Aquitanici charta mihi hæret, quid enim aliud inde elucet? Imo & alias in Aquitania degentes Robertum parvipendiſſe, ſatis locuples teſtis eſt PETRVS MALLEACI MONACHVS (i): *Tum*, inquit, *ab incarnatione redemptoris noſtri MIII. annus volvebatur, ac regnare Francis Rex Robertus ferebatur.* Nec hi ſoli omnium Gallorum ad Caroli filios regnum deferre geſtiebant, Andegavenſibus (k), aut tamen majori eorum

(i) Lib. II. c. 2. de antiquit. Malleaci apud L'abbé Bibl. MSta Tom. II.

(k) Vid. *Chron. Andeg.* l. c. Tom. I. p. 286.

rum parti, Burgundionibus (l), Campanis benemultis aliisve (m), idem erat in votis. Reliquos tamen Carolini ſanguinis Promachos, ut opibus, ita & rerum geſtarum gloria longe poſt ſe reliquerunt, Heribertus Trecenſis Comes avus, & Wilhelmus cognatus, Dux Aquitaniæ. Hi per aliquot annos à Carolo in poteſtatem Hugonis redacto vario Marte arma circumtulerunt, quousque Heriberto viam ad plures ingreſſo, Wilhelmus Aquitanus, Roberti Regis felicitati ceſſit. Nos ne plures adducendo Lectori moleſti ſimus, finem horum moliminum ADEMARI coætanei verbis ſiſtemus: (n) *Sane*, inquit, *Dux Aquitanorum Willelmus, reprobans nequitiam Francorum, Vgoni ſubditus eſſe noluit, unde factum eſt, ut Vgo exercitu Francorum admoto, urbem Pictavis obſidione fatigaret*, (o) *dumque fruſtratus receſſiſſet*,

(l) *Chron. Breve ex Petau.* ap. *du Cheſne* Tom. III. pag. 355. *Odoranni* Chron. Tom. II. p. 638. *Geſta Abb. S. Germani* ap. *L'abbé* l. c. p. 572.

(m) *Chron. Breve* l. c.

(n) *Labbé* Bibl. MSta Tom. I. p. 167.

(o) gemina his *Excerpta* ex Lib. II. *de vita S. Genulfi* ap. *du Cheſne* Tom. II. p. 465.

ſiſſet, cum Aquitanorum manu Willelmus inſecutus eſt eum usque Ligerim, ubi in gravi prælio decertantes Francorum & Aquitanorum animoſitates, multo ſanguine alterna cæde fuſo, ſuperiores Franci extiterunt, & ſic reverſi ſunt. Pacem poſtmodum Willelmus cum Vgone & Roberto filio ejus fecit. Pace Galliæ reddita, ſummotis æmulis, Robertus regno præfuit quietus, quinimo amicitiæ firmandæ cauſa, MX. Guilielmum Ducem Angeriaci inviſit, Ludovici vero noſtri in armis ſtantis nullibi aliqua mentio, quem, utpote partium caput, ſcriptores omiſſuri minimè erant, ſi vera narraſſet Blondellus.

§. 6.

Cum itaque mediis hiſce in turbis, quibus Capetingici regni primordia infeſta fuere, nihil de Ludovico noſtro appareat, expecto adhuc alias probationes, queis Blondelli ſententiæ ut ſubſcribam, adducar. Medio tempore dum hæ inquirentur oſtendam, etiamſi nihil aliud obſtaret, Ludovico per ætatem non licuiſſe, ut adverſus Hugonem aut Robertum in aciem procederet. Agebatur, (quod doctiſſimus PAGI

GI (a) probavit,) annus ab orbe redemto DCCCCXCI. qui Carolum & liberum, & Hugonis captivum vidit; à quo tempore quot anni aut menses usque ad eam diem, quæ Ludovico prima fuit, numerandi sint, ego juxta cum aliis ignoro. Verum fac eodem anno genitum esse, habebis usque ad annum MVIII. memoriæ Ludovici in Gallia ultimum annos XVI., ut adeo, si Dis placet! necesse sit, nostrum omnem ætatem in armis exegisse. Hoc vero num cuiquam verosimile videri poterit? non opinor. Sed fortassis sua non adeo interesse dicent Blondelli assectæ, sive Ludovicus in acie steterit sive non, modo eum in Germaniam venisse ibique sedem fixisse, certum exploratumqun sit, id quod contra ADEMARVM (b) ejusque Collegas tres Historiæ Francicæ Scriptores fide dignos, in dubium vocare non liceat. Fateor, Ademari reliquorumve auctoritatem diu dubium animi me tenuisse, sed postquam argumenta contra hæc testimonia stantia hoc curatius revolvi, eo magis in ea sententia confirmatus sum, & Ludovicum in carcere omnes dies exegisse,

(a) Critic. Baron. Tom. IV. a. 990. p. 59.
(b) verba dedi supra §. 2.

& in eodem communi naturæ Legi ſatisfeciſſe, de Thuringiæ Comitatu, (vel Landgraviatu, quia & id nonnullis viſum,) ne per ſomnium quidem cogitantem. Primo enim in tanta luce omnino negari nequit, (c) Ludovicum cum fratre à primo vitæ halitu in poteſtate Hugonis fuiſſe; adhæc & id concedi debet, nullibi libertatis miſeris ab Hugone conceſſæ memoriam, in Hiſtoriarum monumentis exſtare. Et ſane fuiſſet à prudentia, qua Imperia nuper acquiſita firmantur maxime alienum, regnipetam, plurimorum favore ſubnixum vinclis abſolvere, ſicque vitam, regnum, bona, cuncta denique pro quibus tantum laboris exhauſtum, nulla cogente neceſſitate, denuo in ſummum diſcrimen adducere. Conſulto hæc profero, Ademari, reliquorumve ſequioris ævi auctoritatem, nil penſi quicquam habens. Quamvis enim eos Ludovicum & Carolum expulſos à Francis, habitaſſe cum Imperatore Romanorum tradentes audiam, potius tamen id Roberti Hugonis Regis filii, calidiſſimi quippe laudatiſſimi Gerberti Ravennatis poſtea Pontificis diſcipuli, hoc fugæ glaucomate, violentam Prin-

(c) Add. §. 2.

Principum mortem tegentis, eoque modo odium declinantis, commentum fuiſſe exiſtimo. Erat hæc à Rege ſtudioſe divulgata communis de fuga vox, communis loquela, magno auctore ſtudioſe frigidam ſuffundente, atque carceris tædium effugiſſe juvenes, pro veritare venditante. Quid itaque imputandum ejusdem ævi ſcriptori, monacho, qui famæ communi credens falſa ſcripſit; quid iis, qui hunc auctorem ſecuti? Fortaſſis occulte ſequius quid adverſus communem rumorem muſſitatum, ſed quis tale quid, regis ſui in odium, ejus ſubditus exiſtens, litteris mandare auſit? is profecto, qui ſalutem, honores, omniaque, ſusque deque haberet. Hinc vero etiam videas, Gallos ferme unicè Ludovici & Caroli fugam narrare, non alios, apud quos quippe metus illos premens, ceſſabat. Provoco denuo ad CHRONICA LOTHARINGICA, (d) queis Brabantica *Petri* DE THYMO, (e) aut potius ea ex quibus ille ſua hauſit coæva, & fontes aſſertorum geminorum *Franciſci* DE ROSIERES,

(d) ap. *Piſtor.* Tom. ult. Script. p. 83.
(e) inferius à me recuſa, ſed à *Chiffletio* primum emiſſa.

RES, TILII, aliorumque clarissimorum auctorum, multis Manuscriptis adjutorum, quorumque ætate magna Chronica Belgica necdum edita erant, succenturio. Quinimo quem dixi *Petrus* DE THYMO exserte in rem meam addit: *Quia Hugo noluit eos supervivere, quos regnum, si superessent, timuit petituros.* Vt adeo mortis Principes in carcere abripientis, testes non desint. De anno obitus equidem vix constat; quia tamen *Franciscus* DE ROSIERES; (f) nescio cujus fide adstruxit, eos carceris tædio confectos juvenes obiisse, adhæc à Blondello prolata usque ad annum MVIII. eos vitam produxisse credere sinunt; ulterius, post dictum annum Francos Occidentales Carolinæ posteritatis hyperaspistas, (haud dubie quia eorum pro queis arma portabant nec vola nec vestigium amplius apparebat) Roberto de Jure ad regnum, (licet de aliis haud semper inter eos conveniret,) non amplius litem movisse, ex Historiis patet; sæpe memoratum annum MVIII. vel sequentis primordia eis fatalia fuisse, devinarem. Et hæc quidem cuilibet alteri nostram sententiam non verisimilem sed veram plane red-

(f) l. c. Tom. IV. fol. 194. b.

redditura crederem; ſi vero cum BLONDELLO (g) obſtreperus eſſe pergas, ſcriptorum adductorum auctoritatem laceſſas, quinimo Regum Francorum clementiam tantam crudelitatem non admittentem extollas, Analogia certe Hiſtoriæ eis majorem fidem addet. Cum enim ſatis exploratum exiſtat, Hugonem Regem & Robertum omnibus modis de regio ſecundæ ſtirpis ſanguine exſcindendo cogitaſſe, vel inde apparebit, (Clementia Regum Francorum ſatis nota licet poſita,) Hiſtoricorum noſtrorum tradita, non de nihilo eſſe. Profecto DINTERVS in Chronico hæc profert: (h) *Hugo Rex volens eradere de regno Francorum omne genus Caroli Ducis, collecto Concilio in urbe Rhemenſi, fecit degradare Arnolphum conſobrinum ejus, natum ex concubina, quem ipſe Carolus Rhemis ſubſtituerat.* Si vero Dintero, ante CCC. plus minus annos viventi ſubſcribere te non poſſe aſſeras, dabo antiquiores, dabo coævos. HVGO FLORIACENSIS, (i) CHRONICON BREVE EX PETA-

(g) Plen. aſſert. Geneal. Franc. p. m. 253.
(h) Lib. III. cap. 1.
(i) ad an. 997. ap. *du Cheſne* Tom. IV. pag. 142.

VIANA, (k) ut & ANNALES MSTI quos laudat CHIFFLETIVS, (l) hæc de Arnolpho proferunt: *Hugo Rex invidebat ei, volens exterminare progeniem Clotarii Regis.* Objiciat hic Blondellus, id tamen diffiteri non poterit, Hugonem, quod ACTA CONCILII indicant, (m) ſi per eum ſtetiſſet, Arnolpho Rhemenſi vitam relicturum minime fuiſſe, nec hunc regalis ſecundæ ſtirpis ſanguinis, familiæ Veromanduæ ſalutem, æquis oculis ſpectaſſe, niſi *Paulo* ÆMILIO teſte, (n) proprio capiti male imuiſſet. Hunc vero vos genuino Caroli Lotharingi ſanguini peperciſſe creditis, qui tanto impetu in agnatos ferebatur?

§. 7.

Verumenimvero etiamſi Ludovici fata ſcriptorum teſtimoniis non in apricum producta eſſent, profecto ſatis argumentorum

(k) ib. Tom. III. p. 353.
(l) Vindic. Hiſp. p. 28.
(m) *du Cheſne* Tom. IV. p. 253. *Harduin.* l. c. cf. *Mabillon* Ann. Benedict. an. 991. 995. 997.
(n) de geſt. Franc. pag. 95. ſeq. edit. Henricp.

rum reſtaret, queis eum in Germania nunquam larem collocaſſe, aut Thuringiæ factum Comitem, probatum dare poſſemus. Opinantur Blondelliani, Ludovicum Gallorum ope deſtitutum, circa an. MX. ad Germanorum opes confugiſſe. Ab eo tempore (1.) usque ad annum 1024. alto ſomno ſepultus fuerit neceſſum eſt, cum de avito regno vindicando ne cogitaverit quidem, quamvis magni Galliæ Principes, Roberto turbarum abunde darent, vixque per Henricum ejus filium in ordinem redacti, (a) Juri vindicando ſatis anſæ præberent. Deinde (2) ne verbulum quidem de re tam notatu digna Germanorum Ephemerides, haud dubie caſum ejus infelicem, fugamque ad Henricum non omiſſuræ, ſi ea felicitate frui, & magno Principi, & Regis propinquo, non minimi certe, ſed ſummi æſtimii in aula exiſtenti, fortuna dediſſet. Nil etiam (3) ad noſtrum vel fratrem aut ante annum MX. aut poſtea Lotharingia, quæ illis otioſe ſpectantibus, poſt obitum Ottonis Caroli primogeniti, qui A. O. R. MV. acci-

(a) *Chron. breve* ex Tiliana ap. *du Cheſne* Tom. III. pag. 357. *Chr. breve* ex Petav. ib. p. 354.

accidit, (b) ad Godofredum Barbatum pervenit. Cui vero probabitur, Reges noſtros, æqui juſtique tenaciſſimos, qui nunquam non ad ſtemmatis maſculini propinquitatem reſpexerunt, ideoque poſt patrem ipſi Ottoni Lotharingiam confirmarunt, (c) cum hujus precibus darent, ut Lotharingia ad Godefridum Barbatum transferretur, de fratribus non cogitaſſe? Quinimo hos de Jure ſuo non docuiſſe? Aut ſorores fratribus ſuperſtitibus ad ſucceſſionem adſpirare auſas, quod Jus Lothoringicam fert, ſtemmate maſculino apparente, non ſtatim dejectas eſſe? Scio quid fortaſſis hic ſciolus aliquis mihi opponere queat, Regna ſubalterna Germaniæ tum nondum hæreditaria fuiſſe, adeoque Imperatorem fortaſſis Ludovicum, ex plenitudine, quod ajunt, poteſtatis, exclûſiſſe. Verum is noſſe debebat, Lotharingiæ eo ævo plane aliam atque reliquarum Germaniæ regionum formulam fuiſſe, id quod ROSIERIVS (d) & CALME-

(b) *Brovver.* Tom.I. Annal. Trevir. p.497. *Calmet.* Hiſt. de Lorraine Tom. I. pag. 937.

(c) *Aegid. S. Trudonis Abb.* ap. *Chifflet.* ad Vindic. Hiſp. Lamp. p. 5.

(d) fol. 195. l. c. *Magn. Chron. Belg.* p.84.

METVS (e) adſtruunt. Sed de his alias. Nunc in viam. (4) Ex Blondelli mente Ludovicus & Carolus Henrico II. imperante, Germaniam ingrediebantur, erant ejus conſanguinei, Henrici quippe Aucupis ex filia nepotes; quem tamen, ſi Blondellum ſequamur, adeo vinculi hujus immemorem experti ſunt, ut Ludovicus durante ejus regimine, nil præter parvum prædium, & id proprio ære redemtum acquirere potuerit, liberalitate demum Conradi II. ſive Salici, aliquantiſper adjutus. Nos Henricum II. egregiæ liberalitatis fuiſſe novimus, loquuntur id tot tantaque religioni conſecrata per Germaniam loca, oſtendunt beneficia fidelibus per Germaniam & Italiam paſſim conceſſa, docemur eum fuiſſe potentem, cuivis vicinorum formidandum; Et hunc conſanguineos egenos, afflictos, patriis regnis extorres, non modo in hæreditate cernenda contra Robertum, quem in adjutorium Balduini Flandri venientem hoſtem expertus erat non juviſſe, verum etiam, ut tanti regni hæredes, ſi priorem fortunam conſideres, mendici fere habitum præ ſe ferrent, paſſum eſſe, vos opinamini? Lon-

(e) l. c. p. 923.

Longe ſatius certe prudentiusque noſter ſororiorum opes imploraſſet, & facturus erat, ni eum poſt annum MIX. mortuorum ſedes potius habuiſſent, quam Thuringia. Et quis (5) amabo te! unquam in Hiſtoriis Thuringiæ legit, Ludovicum noſtrum Lotharingio patre ſatum fuiſſe? Enimvero, inquis, quid Hiſtoricis hiſce ſomnorum in patria natis tribuendum ſit, ipſe noſti, ſatis tamen indiciorum eſſe adjiciens, unde confici queat, Ludovicum Thuringum eundem eſſe cum eo, quem Francorum Hiſtoriæ Caroli filium narrant. (f) Dant, inquis, Chronica Ludovico patrem Guilielmum Aurelianenſem Ducem, ipſumque Aurelianenſem vocant; an aliam ob cauſam, quam quod hic Aurelianis in carcere natus, Guilielmum Aquitaniæ Ducem paraſtatam invenit? Materteram Blanckſcheid dictam fuiſſe reliquerunt; Nonne ideo quod Ludovici Ignavi uxor Blanchia audivit, quam Comitem Arelatenſem multi, alii Aurelianenſem credidere? Ludovicum comite fratre Thuringiam ingreſſum dixerunt; an vero hic alius à Carolo, licet ineptulis illis Hugonis nomine inſignitus? Sa-

(f) *Neue Bibl.* XXII. *St.* p. 155. ſqq.

Satis, fateor, hic roboris in ſpeciem, ut plerumque demonſtrationi artificiali veroſimili non veræ; at nos fonte detecto, etiamſi à ſupradeductis abſtrahamus, erroris nebulam facile diſcutiemus. Legerant boni illi Genealogiarum conditores Thuringi recentiores, Giſilæ conſanguineum fuiſſe Ludovicum, quo magni quid ſe inveniſſe putantes, cum probationes, quæ ſeculi ſecta, neceſſariæ non eſſent, per Burgundiæ & Galliæ gentes graſſati, nebulam pro Junone, & neſcio quem pro Ludovico arripuerunt, ut adeo eorum opinationi omnino tribuendum ſit nihil, verum potius Diplomatum & ſcriptorum antiquorum verbis fidendum, unde certe Blondellianæ opinioni color nullus inveniri poterit; quibus etiam unicis nos tantum hæſuri, Blondello valedicimus, reliquorum circa Ludovici originem cogitatis intenti.

(o)

CA-

CAPVT III.

Ludovici Barbati Aurelianenſem & Arelatenſem Originem deſtruit.

SCELETON.

§. 1. *Ludovicum Aurelianenſem Comitem falſo dici affirmat.*

§. 2. *Nec Piſtorii de Arelatenſi ejus ortu fabulam majorem fidem mereri, diſputat.*

§. I.

VElit nolit Ludovicus, Piſtorianis Monachis licet reclamantibus, noſtris exterus eſt; hinc & alios videas Aurelianenſem Comitem credentes, & ne vulgus tantum ſcriptorum hacce fabula imbutum opineris, ſcito, idem commentum, non de plebe eruditis arriſiſſe. Jure ſe agere exiſtimabant, ſub Chronicorum & MStorum & impreſſorum umbone latentes, quorum

nos ea quæ ad manus venerunt, ſtrictim indicabimus. Primo loco ſe ſiſtat maximam inter reliqua huc pertinentia antiquitatis notam præ ſe ferens MSCtum, ſub titulo: *Chronica vnd altes Herkommen derer Landtgraffen zu Heſſen und Thüringen, auch derer Herren zu Henneberg vnd Fürſten zu Anhalt* ab an. 477. usque ad an. 1479. (a) quod originem Ludovici ita effert: *Blandtſcheid Königs Ludvvig vnd Blandtea tochter, die vvard verheurath Hertzog Wilhelm von Orleans und Hiennegavve, mit dem gevann ſie 3. Söhn, Wilhelmen, Ludvvigen, und Hugen, Wilhelm vvar der älteſte und erſtgebohrne, darum blieb er Herr, nach Gevvonheit der Lande, vnd legte ſeine Brüder mit reichem Gelde ab, die zogen zu der Mutter Schvveſter Frau Gyſelen, vnd zu Keiſer Conrad, der ververſorgt ſie mit Fugen.* Succedit alterum, auctoris aut poſſeſſoris *Valentini* ECKELII in Bibliotheca Vffenbachiana nomen præferens, interea dum hoc opuſculum inter

(a) Olim variis in locis MStum, nunc in hoc Tomo editum, cui conſentiunt *Nobius* & *Imhofius*.

Collectanea noſtra delituit editum, (b) ſequentia habens:

Als tauſend fünff und zvvantzig Jahr
Nach Chriſti Geburt gezehlet vvard,
Herr Ludvvig genandt mit dem Barth,
In Thüringen und Heſſen vvard,
Der erſt Landtgrave auserkohren,
Hertzog zu Orliens geboren,
Wilhelm ſein ältſter Bruder vvas,
Ders Land zu Orliens beſaß,
Der groſsmächtig Keiſer Conrad,
Zur Eh der Mutter Schvveſter hatt. &c.

Quot verba tot fere vitia! Et tamen præter CHYTRAEVM (c) cujus hæc ſunt: *Giſilæ enim ſoror Blancaſchidis, Wilhelmo Duci Aurelianenſium nupta, Hugonem & Ludovicum peperit* &c. in eandem ſententiam FABRICIVS (d) magnus

(b) Analect. Haſſ. Tom. VI. p. 241. ſqq.
(c) Chron. Sax. p. 63. edit. 1593. fol.
(d) Memor. G. p. 158.

gnus ſui ævi Hiſtoricus SPANGENBERGIVS, (e) non ſine dubio BANGIVS, (f) CALVISIVS in Chronologia, (g) AVCTOR MONVMENTI SEPVLCRALIS MAVRITII, (h) pluresque quos percenſere longum concedunt; ita tamen, ut ſemper unus ab altero in nonnullis differat, omnes vero in parentis Guilielmi Aurelianenſis nomine concordes ſint. Sed cuncta gerræ ſunt germanæ! Amplius vero aberrat, ſummaque imis miſcet haud minimi nominis Hiſtoricus *Gabriel* BVCELINVS (i) quando ſequens ſchema texit:

Wilhelmus I. Aurelianenſis in Gallia Comes, ex poſteris Caroli M. uxor Blanca filia Ludovici IV. Imperatoris

Ludovicus I. Barb. ux. Cæcilia de Sangerhauſen.	Wilhelmus II. Dux Aurel. ux. Ida Duciſſa Normañiæ.	Hugo Aurel. ux. N. Comitiſſa Spanheimenſis.	Blanca ux. Reg. Galliarum.

D 2 unde

(e) Sächſ. Chron. f. 372. (f) Chron. Thur. p. 40. (g) ad an. 1039. (h) I. Th. f. 70. (i) Germ. Topo-Chrono-Stemmatogr. Part. III. Geneal. Notit. p. 49.

unde hic primus cenſuram ſubibit. Sed longi in eo caſtigando non erimus, cum quilibet ferme videat, omnia in Bucelini cerebro nata eſſe. Quis enim Ludovico IV. Germaniæ Regi ſponſam tantum, conjugem vero non fuiſſe neſcit? Quis Blancam, Ludovici Nihilfecit uxorem, Aurelianenſem dixit Comitem? Quis de Wilhelmi & Hugonis conjugibus aliquid legit? & multa alia. Ad reliquos me converto! Hi Blancaſchidem Wilhelmi Aurelianenſis conjugem, Ludovici matrem, Giſilæ Imperatoriæ conjugi contigiſſe ſororem, hujusque ſororum Sereniſſimarum paris Ludovicum IV. Galliæ Regem ejusque conjugem Blandteam ſive Blancam parentes, absque ullo rubore mentiuntur. Ego ſane non novi quid ſit poſteritati imponere ſi hoc non eſt, ſterili conjugio duas filias, Alemannæ meditullium Galliæ patriam dare, imo ei ſororem, quam nullam agnovit, ad latus ponere! Quin ne de patre quidem Wilhelmo, aliquid certi proferri poteſt! Profecto PISTORIVS (k) eo potiſſimum ariete hanc opinationem concutere nititur, quod Wilhelmus, quem laudant, Comes Aurelianenſis, in Chronicis

(k) præf. Tomi unici Script. Rer. Germ.

eis nullibi extet. Dicam candide, nec me eum inveniſſe, verum *Wilhelmum ſobrinum Caroli Calvi*, *Odonis quondam Comitis Aurelianenſis filium*, Caroli ejusdem imperio, *ſecus Silvanectum decollatum*, mihi innotuiſſe. (l) Hic an ſtemma propagaverit, atque poſteri ejus avitum Comitatum tenuerint, inquirere nec vacat nec conſultum eſt, fruſtra enim omnis labos ſumeretur, tam multis falſis jam ad oculum demonſtratis, nemine Ludovicum Aurelianenſem comitem credituro. Alias ſi de hujus Odonis ſtemmatis propagatione conſtaret, cum filiis plerumque paterna avitaque nomina hæſerint, ſaltem Wilhelmus aliquis Aurelianis præſediſſe, licet cum Ludovici parente nil commune habeat, credi poſſet. At ubi nunc & hoc lumine deficiente Aurelianenſes noſtri Wilhelmi, ſi à Thuringorum erroribus vel malitia abeas? Stultus equidem labor eſt ineptiarum, imo plane me iis immorari tædet, vel ideo tamen & hæc auctorum commenta hactenus tradita ferri non poſſe dicam, quod Giſilam obtorto quaſi collo in Galliam trahunt, cum

(l) *Aunal. Bertin.* an. 866. ap. du Cheſne Tom. III.

tamen noſtro tempore ſatis expeditum ſit, eam ex Gepa ſive Gerberga, Conradi Burgundiæ Regis filia, Hermanno II. Sueviæ Duci elocata, in lucem prodiiſſe. (m) Scilicet hic erat vetuſtorum Genealogicarum Tabularum conditorum mos, qui Probationes addendi neceſſitate ſoluti, quidvis ex quovis effinxerunt; à quo tamen procedendi modo, noſtra ætas merito receſſit.

§. 2.

Quæ vero ab hac originem ſumſit, de ortu Arelatenſi Ludovici noſtri ſententia, non majus elogium meretur. Obſtetricantes ei manus, Seculo XVI. ad finem vergente præbuit *Johannes* PISTORIVS, qui cum in Hiſtoricis Thuringiæ recentioribus Aurelianenſem originem propoſitam inveniſſet, hanc vero quod diximus, firmo non ſtare talo pervideret, nec omnem tamen fidem Hiſtoricis his abrogandam exiſtimaret, in vocis ſono errorem accidiſſe, atque pro τῷ *Arelatenſis*, τὸ *Aurelianenſis* ſubſtitutum

(m) Vid. inſtar omnium Dn. *Kœhleri* Diſſ. de famil. Aug. Franc. p. 22. ſqq. & *id.* de fam. Aug. Caroling.

ſtitutum, ſibi imaginatus eſt. (a) Movebat virum & hoc, quod in Arelatenſi Genealogia in nonnullos Wilhelmos incidiſſet, quos commode huc trahi poſſe, ſibi fingebat. Dedit ergo Ludovico parentem Wilhelmum, fratrem vero alium Wilhelmum, qui patri ſuccedens, noſtro argentum dederit, eumque in Germaniam dimiſerit. (b) Nec aſſeclis hæc mens Piſtorii caruit, ſecuti eam DRESSERVS, (c) AVCTOR *Landgraf Ludvvigs Ehrengedächtnus inſertæ* GENEALOGIÆ, (d) noviſſime vero B. *Chriſtian* SCHLEGEL, (e) & *Fridericus* LVCÆ in ſeinem Fürſten-Saal (f) und Grafen-Saal, (g) alii, ut tamen ſi cum aliis eam contendas, maxima prematur ſolitudine. Sed ſi dicendum quod res eſt, parum vel nihil habet in receſſu. Licet enim veriſſimum ſit, Guilielmum I. patrem poſt annum M. cum imperio exiſtentem, ejusque filium Guilielmum II. anno MXVIII. denatum in

(a) d. præfat.
(b) dicto Tomo unic. p. 961. ſqq.
(c) Millenar. VI. Part. II. p. 510.
(d) loco ultimo.
(e) Num. Iſenac. p. 16.
(f) p. 282.
(g) p. 1017.

Comitum Arelatenſium numero occurrere; (h) licet etiam Giſila Burgundici regis neptis, horum Comitum, Burgundici regni portionis Dominorum, ſanguini propinqua videri queat; adeoque aliquid veriſimilitudinis adſit; quis quæſo tot ſcriptorum Thuringicorum mendaciis demonſtratis, etiamſi nil aliud opponeretur, vel ad conjiciendum eis fidem adhibere vellet, cum nil niſi falſa nobis obtrudere voluiſſe videantur? Adde Syfridi, Reinhardsbornenſis & Erfurtenſis Hiſtoricorum à Piſtorio editorum ſilentium, queis cum Ludovici origo non dilucide expreſſa ſit, qui eam, ſecuti Hiſtoriarum conditores, hauddubie non alia monimenta ſecuti, adeoque fingentes, ſcire potuiſſent? Quinimo tantæ rei probandæ non ſufficit ſola nominum ſimilitudo, ipſa Hiſtoria Arelatenſi, & omni alia, hos Arelatenſes ſurculos ſilentibus. Quid itaque nervorum Piſtorii doctrinæ ſit, res docet, verbis nil opus, ad alia!

CA-

(h) *du Cheſne* Geneal. Burgund. p. 182. *Spener.* Illuſtr. Gall. ſtirp. pag. 12. *Blondell.* plen. aſſert. Geneal. Franc. Add. p. 20.

CAPUT IV.

Quo loco Eccardi, patrem Ludovici Hassiæ quendam Dominum, matrem vero Wigmanni Gandavensis Comitis filiam constituentis sententia habenda sit, disquirit.

SCIAGRAPHIA.

§. 1. *Eccardi mens proponitur.*

§. 2. *Generalia adversus eam adducuntur.*

§. 3. *Ludovicum nec Hassiæ Landgravio natum, nec Thuringiæ Comitis Provincialis Elogium unquam nactum, demonstrat.*

§. 4. *Neque etiam Hugonem ejus fratrem in Hassia sedes fixisse, docet.*

§. I.

JOhannes Georgius AB ECCARD, ante triennium Herbipoli defunctus, pro ea qua erat ingenii felicitate, pro eo etiam quo pollebat in Genealogicis judicio practico, diversis auctorum mentibus lustratis, non potuit non eis sua omnia remittere, atque de nova Genealogica Deductione cogitare, quam suam sententiam, in Historia Genealogica Ducum Saxoniæ Superioris, & Commentariis Historiæ Franciæ Orientalis, latius deduxit diduxitque. Hic cum Petri de Gervasio ingeniosam Genearchicam seriem non cohærere dixisset, licet nil aliud, præter hoc, Ludovici fratrem Hugonem non vero Carolum audivisse, cuique Gundlingius jam satisfecerat, objiceret, nec multas pro sua mente probationes afferret, miro tamen quodam persuadendi modo, non ipsi tantum B. Viro suæ sententiæ probabilitatem, verumetiam Viro de Historia patria præclare merito, amico nostro, *Johanni Davidi* KOELERO (a) persuasit, se rem omnino confectam dedisse, nec esse quæ

(a) Genealog. famil. Aug. Caroling. p. 103.

quæ opponi queant. Nobis vero mentem Eccardinam curatius intuentibus, non omnino eruditiſſimorum Virorum encomio aſſurgendum videbatur, quæ nobis ſuborta dubia, B. Eccardi ſententia verbis ejus propriis, quantum quidem id pote præmiſſa, deinceps proponemus. Hunc vero in modum ille: (b) *Hugonis*, inquit, *nomen, quod geſſit Ludovici frater, in familia Veromanduorum uſitatum fuit: Quadrant tempora, ut Hugo ſit nepos Wigmanni Comitis Gandavenſis, Wigmanno Comite & Hermanni Billingiadæ, Saxoniæ Ducis fratre nati. Hic ſi Heriberto II. qui frater uxoris Vdonis I. Ducis Franciæ fuit, per matrimonium quoddam connecteretur, conſanguinitas Giſilæ & Conradi ejus mariti demonſtrari poſſet. Et en tibi dilucidam ejus expoſitionem! Heribertus II. Comes Veromanduorum filiam habuit Adelam, quæ Arnolfo M. Flandriæ Comiti nupta fuit. - - Ex hac conjuge Arnulfus inter alios liberos ſuſcepit Luitgardem, Wigmanno Comiti Gandavenſi nuptam,* (quod

(b) Hiſt. Geneal. Princ. Sax. Super. p. 314. 316. ſqq.

(quod Diplomatis probat) - - *Ex hac Luitgarde filiam natam puto, quæ nupta fuerit patri Hugonis & Ludovici. Patrem ipsum Hassiæ Principem fuisse existimo.* Ab eo enim *tempore quo Ludovicus in Thuringia sedem fixit, Hassia, quæ antea separata provincia erat Thuringiæ computata, & gubernata est ab iisdem principibus, qui in Thuringia, sub Landgraviorum nomine eminebant. Hugo à Moguntino & Fuldensi Abbate beneficia habebat, Hassia vero proximè adjacet horum Diœcesibus. Divitiis ut Annales de Landgraviis affirmant abundarit necesse est, quod nemini nisi Moguntino & Fuldensi servire voluit; quod in ipsum non quadraret, si exul, & Caroli Ducis Lotharingiæ filius fuisset.* Hugo *in memoriam avi materni, Viri suo tempore Illustrissimi, filio Wigmanno nomen pro more indidit. Ipse* Hugonis *pater, cujus nomen nescimus, in memoriam familiæ splendidissimæ, unde conjux ejus nata erat, primogenitum filium vel ab aviæ maternæ fratre* Hugone *Archi-Episcopo Rhemensi, vel à consanguineo* Hugone *Capeto Franciæ* Rege Hugonem *nominasse*

ſe videtur. Filium natu minorem Ludovicum vocavit, vel à Ludovico Vltramarino Rege Franciæ cognato, vel à Ludovico Pio Imperatore, unde uxor ejus ortum trahebat. Ludovicus iterum unum ex filiis Berengarium vocavit, ut videbimus, in recordationem Imperatoris Berengarii, ſibi cognati. Hactenus ille!

§. 2.

Agnoſcis, Lector, integram hancce Genealogiæ ſtructuram, nominis æqualiti ſimilitudinique unice ſuperſtructam, nitique adeo ſatis debilibus conjecturis, queis & alias virum Beatum nimium dediſſe, noverunt eruditi. Nos utut in ficias ire nec velimus nec poſſimus, nominis conformitatem quandoque in nonnullis familiis ſervatam eſſe, minime tamen ferendam cenſemus eam temeritatem, qua, nominis paritate unicè movente, (a) illis patres matresve, his filii filiæve, neſcio unde terrarum arceſſuntur. Cum enim novum non ſit, in binis

(a) Vid. omnino *Eccard.* Orig. Habſpurgo-Auſtriac. p.44.

binis aut ternis Illuſtribus gentibus ſæpiuſculeeodem tempore, nomine alter alterum referentes floruiſſe, certe hoc indagandi modo, quidlibet ex quolibet exſculpere liceret. Adhæc ſi Genealogias, ſi Hiſtoricos manibus verſare placuerit, & nomina plane peregrina, necnon ut ita dicam adſcititia ſe offerre, & ab antiquo recepta aliquantiſper omitti, imo nonnunquam iis poſteros plane non delectari, deprehendes. Ex quibus haud operoſe colliges, deductiones Genealogicas, à ſola Homonymia profluentes, vix ac ne vix quidem ætatem ferre poſſe. Exemplo rem illuſtrabimus: In tertia Regum Galliæ familia primo loco occurrit Childebrandus Dux, cujus filio nomen Nibelungo, nepoti Thetberto, Thietberto vel Theotberto, ſed ubi hæc nomina ſequioribus temporibus? Majorum domus familiæ ſtipes erat S. Arnolphus Metenſis, quod nomen hoc ad meliores ſedes translato, tam apud Germanos quam Gallos, poſt ſesquiſeculum demum revixit. Huc etiam ex prima Regum ſtirpe Pharamundi, Clodionis, Merovæi, Guntrami, Dagoberti nomina pertinent, quorum priora nec in prima, nec in ſecunda aut tertia ſtirpe recurrunt, ultimum in prima non niſi rariſſime auditum

eſt,

eſt, licet omnes ab eodem caudice progerminaverint. Et hæc quidem hactenus, non ut negem, hoc conjiciendi modo accidere poſſe, ut quis forte fortuna veritatem evolvat; minime gentium! Scio enim & eos qui aërem feriunt, ſorte ita ferente, globo aviculam ad terram præcipitem dediſſe. Id tantum mihi mentis eſt, ludentem atque aërem verberantem, ſumma injuria ſua appellare dilucidas probationes! Licet ludere; quis vetat? Licet conjecturis uti; quis prohibet? verum ejusmodi cogitata pro certis atque indubitatis venditare, id vero trahit aliquid ab iniquo, ac dictaturam ſapit. Aſt præter jam dicta, nec id in Eccardina aſſertione capere poſſum, qui factum ſit, *ut parens* Hugonis, *in memoriam familiæ ſplendidiſſimæ, unde conjux ejus nata erat*, filiis nomina imponeret, cum tamen, quod alias moris, gentis propriæ memoriam amittere non debuiſſet. Sed hoc tolerari poſſet. Id profecto dubio caret, nos ſi nugas agere noſtrum eſſet, more Eccardino, & ex Saxonia, & ex Burgundia, & ex Flandria, & ex omnibus fere orbis Chriſtiani regnis, avos progenitoresve Comitibus noſtris, quaſi in locum aliquem commu-

munem conſcribere potuiſſe, non alia quam nominis felicitate, id ſubſellii indeptos.

§. 3.

Pergit Eccardus: *Ex hac Luitgarde filiam natam puto, quæ nupta fuerit patri* Hugonis *& Ludovici.* Vnde vero hæc divinas Eccarde? juxta mecum ignoras, num Luitgardi filia fuerit, necne? & demus fuiſſe, unde de ejus nuptiis Hiſtoriola? vis ſcilicet omnes in eo acquieſcant, ſibique ſatis & abunde factum putent, ſi reponatur; *Te dixiſſe*! ſubdit: *patrem* H*aſſiæ Principem fuiſſe exiſtimo.* Sed ubi de Haſſiæ patrimoniali imperio aliquid, aut in chartis Regum, aut vero in Hiſtoricis de Landgraviis Thuringiæ? Profecto, ego quidem opinabar, potius Haſſiæ, inſignis terræ tractus, quam parvi, quod ex regia munificentia maximam partem concreverat prædioli Hiſtoricis mentionem fieri debuiſſe, neque tantum principem eo neceſſitatis adactum exiſtimem, ut, quod Eccardus nihilominus verum judicat, non adeo magni prædioli conquirendi cauſa, longius à patria, iis præſertim temporibus, domicilium inſtitueret. Replicas, pri-

primogenitum non cluisse? & hujus peto probationem, deinde vero adhuc probandum restabit, primogenituræ Jus in allodiis, fuisse semper & in totum receptum. Id quod sæpiuscule longe aliter se habere, fide dignissima monimenra me docuerunt. Videtur sane mihi ECCARDVS, *Pauli* LANGII Citizense Chronicon evolvens, quid Monachus velit non recte cepisse, ita enim ille: (a) *Fecit*, inquit, *eum Comitem Thuringiæ, & Hassiæ Dominum.* Hæc quidem Langius, cujus in rebus Thuringicis industriam exosculor, cujusque verba toto cœlo ab Eccardinis distant, cum eum primo Comitem Thuringiæ, post aliquod vero temporis intervallum Hassiæ Dominio auctum esse perhibeant, de quibus latius disserendi, infra erit occasio. Quo vero hanc Historiam firmat Eccardus, nimirum, *Hassiam ex eo tempore, quo Ludovicus in Thuringia sedem fixerit, ei computatam esse*, non ego sum qui credam, dilucida probatione more suo defungatur necessum est, id si fecerit, herbam porrigam. Post Conradum III. Thuringiam Hassiæ pagum, Landgraviatu illius in Ludovi-

(a) an. 1024. ap. *Pistor.* Tom. unic.

dovicianam gentem jam translato abſorpſiſſe, ſponte largior, hujusque rei infra cauſas ſuggeram, verum id, ſcio, nihil ad Beatum Eccardum. Quid vero ſi Ludovicum Haſſiæ Dominum tantiſper in ejus gratiam agnoſcerem? parum profecto inde ad victoriam momenti. Imo vero prius diſquirendum foret, an non, ſiquidem vilius digniori cedere rationis eſt, particula Thuringiæ, Haſſiæ pomœria protendiſſe, atque ei computata cenſenda ſit, cum hæc decuplo plus minus major fuerit. At jam ſentio, Illuſtrem Eccardum Thuringiæ Landgraviatum in Ludovicum collatum exiſtimaſſe, quam ſententiam prementes defectus, infra revelabuntur. Heic loci vero ſcire cuperem, cum Eccardus Ludovicum patremque Haſſiæ Principes dixerit, num à Rege conſtitutos, num vero in Allodio eorum Haſſiam fuiſſe, perſuaſum habuerit? Alterutrum horum eligatur neceſſum eſt, neutrum à me obtinebitur. Franciæ enim Orientalis partem Haſſiam fuiſſe cum in confeſſo ſit apud omnes, nec minus etiam, Franciam Orientalem haud ſecus ac alias Germaniæ terras, manui certorum præfectorum regiorum, quos Cameræ nuncios vocabant, ſuppoſitam fuiſſe conſtet,

ſtet, (b) ſponte ſua inde fluit, non aliam formulam Haſſiæ quoque contigiſſe. Satrapas vero Carolingicis Regibus ſceptra tenentibus præſidentes plures novimus, interque eos ultimum Conradum, patrem Conradi I. Regis. Huic Alberti technis vita privato, quæ tum obſervantia, procul dubio filius ſucceſſit, qui agnatis & poſteris, ni fallor, usque ad Conradum Salicum ditionem per manus tradidit. Hi licet Haſſia allodiali, ut infra dabimus, ſimul vero in ea Jurisdictione Regia quaſi-hereditaria, & fundo annexa gaudere potuerint, diverſi tamen erant à Ludovici ſatore. Vbi itaque pater Ludovici noſtri, Haſſiæ Dominus! Hic Rhodus!

§. 4.

Haſſiam *Moguntini & Fuldenſis Diœceſibus adjacere proxime*, nemo in dubium vocare, vel per ſomnium cogitavit; verum in eo quæſtionis cardo vertitur, an eam ob cauſam ineluctabilis neceſſitas nos urgeat, ut Hugonis feuda, quæ ab his in beneficio tenebat, eo in loco ſita fuiſſe,

 cer-

(b) *Ekkehard.* Jun. ap. *Goldaſt.* Rer. Alam. Tom. I. Part. I. pag. 40. Add. *infr.* c. ult.

certum habeamus? ego ſeorſim ſentio, potius locum domicilii ejus in Franconia aut Wetteravia, quas hodie vocant quæſiturus, ubi & Moguntini & Fuldenſis beneficiis, æque ut in Haſſia ornari potuit. *Divitiis abundabat Hugo*: Sed quid hæ ad Ludovicum? quem licet fratrem, diverſo plane modo ſe habuiſſe, Diplomatum & Annalium fide docemur. Vt vel inde cognitu haud difficile ſit, non eandem utriusque fortunam fuiſſe, id quod infra data opera declarabimus. Eccardi quæ addit, nos non feriunt, ſatis jam adverſus hæc in prioribus munitos, quæ in genere dicta recolenti, non grave futurum reor, ad ſingula in ſpecie, quæ opus, reponere. Præſagiebat B. Illuſtri Viro animus, futurum aliquando tempus, quo ejus inanium conjecturarum alios tæderet, & hinc in explicatione ciſtulæ Ebnerianæ ita infit: (a) *Ich halte davor, in der klaren* Hiſtorie *ſey das rathen und muthmaßen verbothen; aber in danckelen vnd uhralten Sachen, erlaube ich es gern, doch ſo, daß eine Menge guther Umbſtände demſelbigen das gehœrige Gevvichte geben, und es nicht ohne*

(a) p. 49.

ohne triftige Uhrſachen angebracht vverde, man auch deutlich bekennet, daß man, vvas man auf ſolche vveiſe ſaget, nur muthmaſſungs-vveiſe habe &c. Verum quæro ex te, qui verum amas, ubi hic magnus conjiciendi Magiſter regulis ſuis ſatisfecit? an cum non conjecturas, ſed dilucidas probationes promitteret? an cum alios absque ratione retunderet? Sed mittamus mortuum, cui jam Vir Eruditus, amicus noſter M. *Johann Gottlob* HORN, in exaſciato de Henrico Illuſtri opere, (b) ex aſſe ſatisfecit.

(b) c.III. §.40. p.88.

CAPUT V.

Illustrium ac Consultissimorum Struvii & Estoris, necnon Amplissimi Ayrmanni sententias refert.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Struvio & Estori satisfit.*
§. 2. *Ayrmannus & Petrus de Advocatis percensentur.*

§. 1.

ILlustris *Burcardus Gothelf* STRUVIUS Jenensium JurisConsultus, in Syntagmate Juris Publici, (a) & Juris Publici Prudentia, (b) Ludovicum Barbatum, Conradi II. fratrem consanguineum statuerat;

(a) p. m. 95.
(b) p. m. 50.

rat; ſed poſtmodum Conſultiſſimo Domino ESTORI (c) in Juris Publici Haſſ. Specim. I. cenſura notatus, in Notis ad HISTORIAM LANDGRAVIORVM, necnon Corpore Hiſtoriæ Germanicæ, (d) de hujus propoſitionis veritate, ipſe dubitaſſe videtur. Id minimum extra dubium eſt, eo ævo *conſanguineum* non fratrem unilateralem, ſed cognatum, Gallis *Couſin* denotaſſe. Is vero, quem modo dixi, Conſultiſſimus ESTOR, cit. loco (e) alium fontem, Ottonem, Conradi I. Regis fratrem retexit, cujus conjecturam, licet & nos non improbemus, circa perſonas tamen, à quibus Ludovicus deducendus, aliasve circumſtantias nonnihil ſcrupuli eſſe ſuper, ex iis quæ jam contra B. Eccardum diſputavimus, nemo non agnoſcet. Ipſe vero Vir Conſultiſſimus, cum nonnullos de veritate ſententiæ ſuæ dubitaturos ſentiret. Tom. VII. Analectorum Haſſiacorum (f) eam magis firmare ac illuſtrare anniſus eſt. Proponit illic ſequentem graduum deſignationem:

E 4 Wa-

(c) p. m. 11. (d) p. m. 292. ſq. (e) Analect. Haſſ. Tom. II. p. 357. (f) n. 6. p. 137. ſectione cui titulus: Wahrſcheinlichſter Uhrſprung vnd Abſtammung derer alten Grafen von Heſſen.

Warinus a. 741.

Werinharius a. 866.

Werinharius a. 897. Cameræ nuncius.
ux. Juditha.

Conradus ſenior.	Eberhardus.	Gebhardus.	Rudolph Epiſcop. Herbip.
	Conradus.		

Conradus Jun. Rex. — Eberhardus. — Wernerus. — Otto.

Conradus Wormacenſium & Haſſiacarum terrarum hæres, Dux Lotharingiæ & Franciæ † 955.

Otto Haſſiacus & Wormacenſis, Dux Carentani limitis & Comes Veronenſis.

Henricus Hezilo Dux Franciæ.	Bertholdus Comes in Francia & Haſſia.
Conradus II. Imper.	Hugo. — Ludovicus Barbatus ſtipes communis Landgraviorum.

quam

quam ex B. Eccardi Hiſtoria Franciæ Orientalis illuſtrat. Licet vero ſupra Viri Eruditi mentem non abſonam dixerimus, utut etiam Vir in Hiſtoria patria maximus KOELERVS, (g) eam certiorem atque reliquorum commenta crediderit, ubique tamen ei aqua hærere videtur. Jam enim, nos in *præfamine noviſſimæ Editionis Scriptorum Rerum Alamannicarum Goldaſti* (h) probavimus, Conradi Sapientis patrem non Ottonem ſed Werenherum fuiſſe, id quod latius deducemus. Præterea vero circa Bertholdum ejusque conjugem, horumque propaginem, quam Hugonem & Ludovicum vult vir doctus, adeo multa dubia ſunt ſuper, ut nulla re, præter nudam negationem opus ſit. Erit tamen in calce de his gradibus diſſerendi occaſio, quo Lectorem remittimus.

§. 2.

Ab omni adverſario tutus eſt Clariſſimus AYRMANNVS, Giſſenſis Hiſtoriarum Profeſſor, qui in Hiſtoria ſua Haſſiaca

 ver-

(g) in Not. ad Nov. Edit. Imhof. p. 316.
(h) fol. 2.

vernacula, (a) nil præter hoc affirmavit, Conradi & Giſilæ conſanguineum fuiſſe Ludovicum. Scilicet hoc genti ſplendore ſuo ab omni ævo ſatis corruſcanti ſufficere credebat Vir ſui nominis, litigia litteraria peroſus. Qui vero Analectis Haſſiacis (b) cogitata ſua inſeruit *Petrus* DE ADVOCATIS ignoti nominis Vir, in eo fortaſſis falſus non fuit, dum Ludovicum & Hugonem ſorore Conradi Salici cretos exiſtumavit, modo probationes addidiſſet. Has ergo quamprimum videre licuerit, certius quid de ejus ſenſorum valore ſtatuemus. Nunc ad Tenzelium Oratio deproperat.

(a) Sect. III. cap. 1. §. 12. p. m. 174. ſqq.
(b) Tom. III. p. 209. ſqq.

CAPUT VI.

De Origine Suevica Ludovici nostri, ex mente B. Tenzelii.

B. *Wilhelmus Ernestus* TENZELIUS, non quos alii Duces, sed verba tantum Diplomatum: *consanguineus noster*, aut *propinquus noster* secutus, certiora se extricasse putavit. Cum enim Wipponem reliquisse legeret, (a) *Ernestum*, Conradi Salici privignum, *Alsatiam provinciam vastasse, & castella* Hugonis *Comitis, qui erat consanguineus Imperatoris, desolasse*; se voti damnatum, atque Ludovici fratrem invenisse credebat, una cum illo, ex Alsatia oriundum. (b) Huic vero opinioni, ex Alsatia Sueviæ tum computata Ludovicum producenti, præter illos, qui Suevum fuisse Ludovicum volebant, & LE-

(a) Vit. Conradi Sal. ap. *Pistor.* Tom. III. p. 434.

(b) Supplem. II. Histor. Gothan. p. 412.

LEGENDA BONIFACIANA (c) verbis: *Qui Carolus Martellus etiam misit Thuringis quendam fidelem suum de Franconia, ex progenie illorum de Stouffa* &c. adstipulari videbatur, id quod non minimi ad victoriam momenti. Addi priori potuisset & postea demum editus, ANONYMVS, (d) & infra citatus Chronici Francobergensis autor GERSTENBERGERVS, quorum uterque Ludovico nostro cognomen *de Stoupha* apponit, & Carolum Magnum Landgraviatus ejus Thuringici auctorem laudat. Sed suborti post alii, qui Tenzelium nil amplius, atque quod pueri in faba, deprehendisse opinati sunt. Profecto *Petrus* DE GERVASIO, (e) Tenzelium insignis hoc in loco commissæ negligentiæ accusavit, simul vero doluit, ei Blondellum ad manus non fuis-

(c) ap. eund. pag. m. 344. & *Menck.* Rer. Germ. Tom. I. p. 845. quæ licet de Carolo Martello disserat, certo certius tamen de Conradi II. ævo intelligenda est.

(d) Bericht von Bekehrung &c. des Lands zu Thüringen ap. *Struv.* hist. vnd Pol. Archiv P. II. p. 260. sq.

(e) N. Biblioth. XXII. St. p. m. 154.

fuisse, quippe qui Ludovicum è Gallia arcessendum docere potuerit. Addidit, minimè gentium Hugonem Wipponi memoratum huc spectare, quia notorium sit, hunc Comitem Egenesheimii fuisse, Conradi matri Adelheidi sanguine junctum. Quod ad me, non nego, quædam Tenzelium latuisse, idque ut dilucide cognoscas, Genealogiam Comitum Egenesheimii, in quam vero nunc inquirere non vacat, ex B. ECCARDO (f) & HAHNIO (g) subjicio:

(f) Hist. Geneal. Princ. Sax. Super. p. 317. Orig. Habsp. Austr. p. 64.

(g) de orig. & stirpe Conradi Sal. pag. m. 81. seq.

* * *

Conradus Dux Lothar.
- Otto Dux Carentani.
 - Henricus Dux Francon. cognom. Hezil.
 - Conradus Salicus Imperator.

* * *

Hugo Comes Ferretanus.
- Eberhardus Comes Alf.
 - Adelais f. Adelheidis.
 - Conradus Salicus Imperator.
- Hugo Comes Egensheim.
 - Hugo Comes Egensh.
 - Hugo Comes Egensheimens. *consanguineus Conradi Sal.*

Veru

Verum nescio sane, annon hoc ostenso Tenzelius reponere potuerit, Egensheimii Comitem plane eum esse quem quærat, quique amissis vastatisve bonis suis in Thuringiam cum fratre abierit, ab Imperatoris liberalitate, malis medelam quæsiturus. Ego hic nihil definio, id tantum adjiciens, plane ad hanc mentem Tenzelianam non quadrare, quod Hugo divitiis abundans ab Anonymis Pistorianis nârretur, quem ipse pauperem, & nudiustertius à possessionibus suis dejectum sistit. Id certum videtur, hunc ultimum minus atque reliquos à janua aberrasse, paulo inferius enim nos ipsi Ludovicum ex progenie Stauffensi Suevica deducemus, cui Francica Imperatoria gens innexa fuit. Prodibit tum intervenientibus progenitoribus *Francis cis Rhenum de elegantissima stripe Francorum Regum Caroli & Ludovici* (h) Comes noster Thuringiæ. Quod ut eo rectius fiat, atque omnes oppositiones simul prosternantur, non indignabere lector, si schema Genea-

(h) Monach. Reinhardsb. ap. Eccard. pag. 346.

Genealogicum familiæ Auguſtæ Francicæ ſ. Franconicæ, ab ultimis originibus repetitum, auctius & emendatius atque à reliquis factum, tibi propoſuerimus, hiſce exantlatis, Ludovico Thios, ex æquo & bono, pro captu reſtituturi.

(o)

CAPVT

CAPVT VII.

Begonem Comitem Parisienſem communem familiæ Auguſtæ Franconicæ parentem extitiſſe negat.

BREUICVLVM.

§. 1. *Blondellus & Gundlingius familiam Auguſtam Francicam à Begone Pariſiorum Comite deducunt.*

§. 2. *Eberhardum Begonis filium nunquam Pariſino Comitatui præſediſſe, ſed Gerardum de Ruſſilone à Gundlingio cum illo confuſum eſſe, demonſtrat.*

§. 3. *Eberhardi & Letardi Begonis filiorum fata & obitus referuntur.*

§. 4. *Et in hoc falſum fuiſſe Gundlingium deducit, dum Eberhardo Gerardum & Conradum filios adſcribit; cum tamen loca ex ſcriptori-*

bus ab eo adducta, Gerardum de Rossilone & duos Conrados, alterum majorem, alterum fortassis minorem Guelphicum,

§. 5. *si quidem Pater Conradus Guelphicus Major Parisiis praesedisset omni Jure aestimandum, nunc*

§. 6. *non absque dubietate, indicent; quandoquidem adhuc ambiguum est, annon potius Vermeriensis quam Parisiensis Comes credendus veniat.*

§. 7. *Quisquis demum secundus ille Conradus fuerit, eum nec ipsum, multo minus vero filios ejus in Germania sedes nactos esse, adeoque Franciae Orientalis Comites ab eo genus non ducere, in luce ponit.*

§. 1.

FVisset absque VIGNIERIO, latuissent multa BLONDELLVM; fuisset absque Blondello, lumen in multis Historiarum capitibus hodiedum desideraremus. Verum dum Viri omni encomio dignissimi, absque genuino monumentorum lumine nonnunquam procedunt, quod & hic fa-

ctum,

ctum, graviter labuntur. Prior alterum ſeduxit, nec tamen hic temere in errorem lapſus eſt. Legerat enim in monimentis Galliæ, Begoni Pariſienſi Comiti Illuſtri, amico regis, (a) matrimonii lege ſociatam fuiſſe Alpaidem ſive Elphaidem, Ludovici Pii filiam, atque ex ea Begoni an. DCCCXVI. defuncto, (b) natos eſſe filios Letardum & Eberhardum, quorum Hiſtoria FRODOARDI indicium facit; (c) quo cognito, Eberhardum quendam inter fratres, Franciæ Orientalis Comites, quibus cum Adelberto Babenbergenſi fratribusque bellum fuit ſe deprehendiſſe gnarus, ſimulque in eadem gente Vdonis nomen haud infrequens eſſe recordatus, non abs re fore putavit, ſi Conradum, Gebhardum, Rudolphum & Eberhardum, Eberhardi Begone

(a) *Eccard.* orig. Habſp. Auſtr. pag. 44. & Addenda in calce. *Menck.* Script. Tom. I. pag. 890. nota 35. & pag. ſeq. *Muratorii.*

(b) Annal. Hildesheim. a. 816. ap. *du Cheſne* Tom. III. p. 509. *Leibnit.* Script. Tom. I. p. 715.

(c) *Frod.* Hiſt. Rhem. Lib. IV. cap. 46. in Biblioth. Patr. Max. Tom. XVII. pag. 616. Add. Lib. II. c. 12.

ſati nepotes diceret. Sed age, ſchema ejus huc transferamus! (d)

* * * * * *

Bego Comes Paris. --- Alpaidis maritus.

Letardus.	Eberardus.

Vdo Comes.

Conradus. ab Adelberto Babenb. occiſus.	Eberhardus.	Gebhardus.	Rudolphus. Epiſcop. Herbipol.

Arriſit hæc Blondelli opinio non modo TOLNERO, (e) ſed etiam Illuſtri GVNDLINGIO νῦν ἐν ἁγίοις, (f) nec ulli dubium hæſurum crederem, ſi modo Eberhardo Vdonem filium tribuendum eſſe, ab hoc vero Conradum & fratres ſanguinem duxiſſe, probationibus evidentibus adſtruxiſſet.

(d) Extat. plen. aſſert. Geneal. Franc. p. m. 206.

(e) Tab. II. Palat. Rheni. præfix. Hiſt. Pal.

(f) Diſſ. de Statu Reipubl. Germ. ſub Conrado I. p. 28. 29.

xiſſet. Sed hæ ubique deficiunt. Vnde, qua erat judicii vi, Illuſtris GVNDLINGIVS ſeptennio poſt, quam Blondelli mentem adoptaverat, ei rurſus repudium miſit, Vdonem ad fabulas ablegans, ejusque loco Gebhardum & Conradum Eberhardo filios attribuens, ut ſyſtema ita ſe habeat: (g)

* * *

Bego Comes Paris. Alpaidis maritus.

Eberhardus. Letardus.

Conradus. Gebhardus.

Conradus. Gebhardus. Eberhardus. Rudolphus.

Placuit hoc poſt Gundlingii fata Dn. KVCHENBECKERO, (h) qui etiam plures probationes attulit. Verumenimvero unde Eberhardo, Conradus & Gebhardus filii? Vtut enim, Begonem Comitem Pariſienſem, eique, (i) filios Leterdum & Eberhardum

(g) Neue Bibl. XXX. St. p. 867.
(h) Analect. Haſſ. Tom. IV. p. 254. ſqq.
(i) hoc operoſe probat Vir Illuſtris pag. 849. ſqq. l. c.

hardum fuiſſe, quod ſupra dictum, credamus, illos tamen ut admittamus, aliis probationibus quam viri Illuſtris verbis opus erit, qua de re nunc curatius.

§. 2.

Perſuadet ſibi Vir dum vivebat Eruditiſſimus, Eberhardum paterno Begonis Comitatu Pariſienſi potitum eſſe, præſertim cum Ludovico Rege Comitatus Parentum plerumque in filios translatos, à multis jam antehac notatum ſit. Invenit poſtea in AGOBARDO Lugdunenſi, (a) eum Judæorum fuiſſe defenſorem, quod munus haud injuria opimum, & tanto Comite dignum judicat (*), utpote cujus & ſequioribus temporibus, ſummos regni Principes non puduit. Vltima vero vice in diviſione regni filiorum Ludovici Pii ejus obtutibus ſe obtulit,

(a) Tom. I. pag. 60. & paſſim in operibus edit. Baluz.

(*) Obtinebant Judæi ferme omnia telonea, quinimo mercaturam ſoli exercebant, unde *Agobardi* & *Rabani* in libris adverſus Judæos querelæ creberrimæ; peponem ergo loco cerebri ut habeat neceſſum foret, qui quæ diximus, negare auſit.

obtulit, ubi cum quodam Conrado se sistit. (b) Ne vero de Comitatu ejus Parisiensi fortasse quis ambigat, atque Ludovici supra memoratam observantiam se non omnibus dubiis liberare adstruat, testimonium è VITA LVDOVICI PII, (c) ubi Eggebardus Comes, quod nomen Annales Astronomi Reuberiani per τὸ Eggerardus efferunt, se sistit, adsciscit. Hunc Comitem Parisiensem fuisse indicat Annalistarum uterque, quisquis demum alterius scrinia compilaverit, nos ex Reuberiano verba dabimus: (d) *Et quidem in Francia*, inquit, *Eggerardus Comes, & Wilhelmus Comes stabuli, quos poterant sibi in unione voluntatis restituendi Imperatorem coadunabant.* Paulo post: *Hieme autem exacta & vere jam adveniente, Lotharius patre assumpto per pagum Hasbaniensem iter arripuit, venitque Lutetiam, ubi obviam ipsi esse, cunctos fideles praeceperat. Cui Eggerardus Comes & alii illius pagi Proceres, magna coacta manu obviam, pro liberatione Imperatoris pugnaturi*

(b) Nithard. Lib. IV. ap. du Chesne Tom. II. p. m. 377.

(c) ap. *du' Chesne* Tom. II. p. 310.

(d) Ann. 833. & 834. recent. edit. p. 82.

processerunt &c. Certum est exploratumque, non raro illius ævi Scriptores V. vel W. in G. mutare, ut Viro Illustri probabile, imo tantumnon plane extra dubium visum fuerit, hic Eberhardum Begonis filium signari. Ego vero non equidem nego, magnam esse inter hoc & Eberhardi nomen convenientiam; At tuum judicium requiro, Lector, annon potius Gerardi nomen per Eggebardum vel Eggerardum referatur, præsertim cum eodem tempore Gerardus quidam Comes Parisiensis, nobis occurrat. Ex NITHARDO enim scriptore æquali DCCCXXXVIII. *Gerardum Comitem Parisius civitatis*, Carolo quem Calvum dixere fidem dedisse, (e) postea vero eundem *Gerardum Comitem Parisii civitatis fide frustrata, Lotharium secutum esse*, (f) in ejusdem gratiam *Sequanæ ripas* cum exercitu insedisse, aliaque nonnulla contra Carolum gessisse, (g) discimus. Imo ne plane cuiquam hæreat dubium, Gerardum non Eberhardum Annalium conditores hic indigitasse, sciendum est, eodem anno DCCC-

(e) Lib. I. ap. *du Chesne* Tom. II. p. 362.
(f) Lib II. Ib. p. 365. ap. *Schilter.* p. 92.
(g) Ib. p. 367. *Schilt.* p. 94.

DCCCXXXVIII. ſupratacto, ALBERICVM *Trium fontium Monachum*, (h) quem Eggerardum alii dixerant, Gerardum vocare. Dum *filiorum Imperatoris animos ſaniore conſilio mitigatos, præſertim per Gerardum Nobiliſſimum Burgundiæ Ducem & potentiſſimum, qui paternos eos revocans ad amplexus, priorem reſtituerit, illos ad gratiam, hunc ad gloriam & honorem*, perhibet. His ita trutinatis, nil forte ſupererit, quam ut hunc Eggerardum ſive Eggebardum unum eundemque cum Gerardo, & Pariſiorum Comite, & Burgundiæ Comite aut Duce, exiſtimemus. Etenim ut paucis te abſolvam, erat is noſter Gerhardus, qui de Roſſilone dictus, *Comes & gener quondam Pipini*, (i) maritus nimirum Berthæ, Caroli & parentis partibus ſtudebat; erat haud diverſus ab illo, qui reſtitutus Lemovicis præſediſſe, (k) quique ad ultimum Caroli Calvi iras meruiſſe, Ducatu Bituricenſi

(h) in *Leibnitii* Acceſſ. Hiſtor. & *Eccardi* Scriptoribus Rerum Germ. Tom. II. an. 837.

(i) *Ann. Aſtron.* an. 838. ap. *Reuber.*

(k) *Lupus Ferrar.* Epiſt. 28. ubi *Baluz.* in Not. p. 367. 449. ſq. edit. Paris.

excidisse, Avenione obiisse, & Pultariis sepultus esse scribitur A. D. DCCCLXVII. prout hæc omnia, probationibus additis latius persequitur ECCARDVS, (l) ad quem te, ne modum excedamus, ablegatum hinc volumus, non sine amplissimo fructu reversurum. Ne vero Tu fortassis Illustris Viri verbis objicias, (m) Gerardum Comitem Parisius civitatis, de quo Nithardus, Eberhardi filium videri, quem in prælio Fontanedico occisum opinantur, adeoque longe diversum videri à Gerardo de Rossilone, qui multis sequioribus annis auram vitalem adhuc carpserit; responsi loco accipe: fictitiam illam Gerardi Comitis Paris. mortem, nullo teste aut coævo aut sequioris ævi paulo antiquiore stare, ut adeo binos fuisse Gerardos, & horum alterum in prælio periisse, non adeo expeditum censeamus, potius unam eandemque personam Gundlingio in duas discerptam, opinemur. Adjice Gerardum Gundlingio Eberhardi filium creditum, diversa ab hoc signa secutum, quod sane

(l) Orig. Habsp. Austr. pag. 29. 30. 31. 32. 33.

(m) l. c. pag. 862. not. add. Dn. *Kœhler* Diss. de famil. Aug. Caroling. Tom. V. numer. 12.

ſane haud facile accidiſſet, ſi quidem Gundlingii mens firmo talo ſtaret. Præterea ſi tempora contendamus, Gerardus Nithardi aut ejusdem cum Eberhardo Begonis filio ætatis, aut natu grandior, omni Jure æſtimabitur. Profecto Ludovici Pii filiæque ejus Begonis uxoris ætas, hujus nuptiæ morsque mariti, quod diximus in annum 816. incidens, (n) nos credere non ſinunt, Eberhardo modo dicti Begonis filio an. 834. & 838. filium eſſe potuiſſe Gerardum, jam Comitem, & exercitus Ducem primarium, cum ad ſummum, ſi filium habuit, is bimulus aut trimulus fuiſſe videatur, ni naturæ, ni Hiſtoriarum Analogiæ, vis inferri debeat. Quinimo Letardus Eberhardi frater, fortaſſis uno alterove anno ab eo diſtans, nondum huic bello interfuit, aliquantulo demum poſt tempore, rebus gerendis admotus, qui itaque priori filius fratre natu major eſſe poterat?

§. 3.

Extorres itaque, inquis, nepotes nil mali meritos, à poterno Comitatu voluit Lu-

(n) vid. hoc cap. §. 1.

Ludovicus? Imovero voluit, quod audisti, non ut eis ægre faceret, verum quia tempore obitus Parentis, intra infantiam constituti, Comitatui Parisino præesse non poterant, qui virum consilio fortitudineque præstantem, ut qui maximè, ob amplitudinem requirebat. Admovit tamen Eberhardum nostrum, juvenem adhuc, splendidissimis in curia sua honoribus, auxit eum amplissimis ditissimisque beneficiis, ut Comitatus Parisiensis, ab alio sibi prærepti, eum non pœniteret. Erat quod audisti, Eberhardus Missus regius, Judæorum etiam Protector, morabatur in Palatio regio, eamque ob causam Ludovico vivorum numero exemto, cum Palatinis ministris, (a) exercitu, & integro Rhenano Franciæ tractu, in quo Aquisgranum, & ni fallor ejus bona sita erant, (b) ultimum Ludovici votum, (c) dispositionemque, paulo ante quam moreretur factam secutus, (d) ad Lotharium se transtulit. (*) Nostram hanc conjecturam firmat

(a) Annal. *Fuld.* & *Metens*. a. 840. *Bertin.* 841.
(b) loc. cit. a. 841.
(c) Ib. an. 840.
(d) *Annal. Metens.* a. 838. *Fuldens.* 839.
(*) Multum fallor, aut Eberhardus noster Pa-

firmat locus NITHARDI (e) ubi ad Ludovicum & Carolum legati *Josippus*, *Eberhardus*, *Egbertus*, *una cum ceteris à parte Lodharii venerunt, dicentes, quod Lodharius cognovisset, se in Deum & illos deliquisse.* Pace firmata apud Lotharium filiosque summo in curia loco substitisse Eberhardum nostrum nulli dubitamus, neque enim ad aliud regnum monasterium S. Galli Chronicon ve pertinebat, quod ei inter regni Principes anno DCCCLXIV. demortuos, primum locum confert, atque ut de anno mortis ejus, locoque domilii certi simus, efficit. Hunc enim in modum CHRONICON BREVE MONASTERII S. GALLI, (f) EBACHARD, (quod nostri nomen, rectius vero EBRACHARD lege-

Palatii Aquensis sive καθ' ἐξοχὴν dicti regalis Palatinus fuit, hoc enim omnia quæ adduximus, demonstrare videntur. Id si sit, quæ ejus bona, ex *Tolnero* fortassis, vel me tacente, noveris. Habebis vero quem addas solertissimi *Tolneri* Comitibus Palatii Aquensis c. V. Histor. Palat. pag. m. 160. ubi noster omissus.

(e) Lib. IV. an. 843.

(f) *du Chesne* Tom. II. Francicor. p. 469.

legeretur,) *Luitolf*, *Erchanker*, *Luitfrid*, *Ruddolf*, REGNI PRINCIPES, *obierunt*. Atque hoc certe in regno eum post transitum ad Lotharium constanter substitisse, nobis firmius adhuc persuadet frater ejus Letardus, eodem loco regio servitio innexus, summisque honoribus functus. Id ut minore negotio tibi persuadeam, en ANNALIVM BERTINIANORVM verba ad an. DCCCLXI. (g) ubi: *Karolus*, inquiunt, - - *missaticum ex parte Lotharii nepotis sui, ab Adventio Mettensium civitatis Episcopo & LEVTARDO Comite delatum audit* &c. In hæc verba illi quidem; nec te nomen Leutardi turbet, cum elisiones aut pleonasmi, in nominibus præsertim Francicis, admodum frequentes sint. Nosti nunc Eberhardi & Letardi fata, nosti neutri horum Comitis Parisiensis dignitatem obtigisse, sed ex paterna hereditate avique liberalitate, & propriis acquisitionibus, fortassis in Lotharingia agrorum dites fuisse, nosti Eggerardum Astronomi, aut si mavis Gerardum Ruscinonensem Parisiorum Comitem toto cœlo ab Eberhardo distare, vides id vel inde ma-

(g) apud *du Chesne* Tom. III. p. 213.

magis probari, quod hunc triennio citius illo mors rapuit, diſcis Eberhardi & Letardi dignitatem, bona, mortem, longius itaque pes promovendus!

§. 4.

A patre ad filios progredimur; ubi Vir Illuſtris, quod Eberhardum Pariſiorum Comitem arbitrabatur, *duos ei filios, Gebhardum ſive Gerardum Pariſienſem Comitem, fortaſſis apud Fontanedum occiſum, & Conradum, apud Nithardum cum Eberhardo patre diviſioni regni filiorum Ludovici Pii præſentem, poſt triſtia fratris fata, Pariſienſis Comitatus adminiſtrationem indeptum, & tandem quia cum Ludovico Germaniæ Rege ſenſerat, regno Franciæ occidentalis ejectum, parentem Eberhardi, Conradi, Gebhardi & Rudolphi, Franciæ Ducum, attribuit.* Ego vero, cum jam ſuperius Gerardum Gundlingianum non Eberhardi (cui Pariſienſis Comitatus nunquam contigerat) filium, ſed potius Gerardum de Roſſilone Pariſienſem Comitem fuiſſe; nec in prælio Fontanedico, ſed multis luſtris elapſis, anno 867. mortuum; nec etiam,

ut

ut ætate minimum ſupparem, filium ei eſſe potuiſſe; latius deduxerim diduxerimque, hic tantum de Conrado, filiorum ex mente Viri Illuſtris altero, ſolicitus ero. Militabat, quod jam ſæpius me repetiiſſe memini, Lothario Eberhardus; Conradus contra, quem Gundlingius huc pertinere adſtruit, diverſis à partibus, Caroli nimirum ſtabat, ejusque ſigna, NITHARDO, (cujus magna his in rebus apud me auctoritas) docente, ſequebatur. (a) Deliberationibus quoque de familia herciſcunda uterque intererat, alter Lotharii, alter Caroli commodis intentus, adeoque ætate, quod videtur, non multum impares. Vt adeo, his circumſtantiis cunctis moventibus, plane non capiam, qui fiat, alterum Parentem, filium alterum, Viro Illuſtri æſtimari. Potius hic Conradus, falsò Eberhardi filius habitus, à Conrado majore Guelphico, Judithæ reginæ fratre haud diverſus videtur, quis enim credat, hunc nepotem ex ſorore, nulla tum injuria ſibi cognitum, dereliquiſſe? Quem potius ejus comoda operoſius ac rectius promoturum fuiſſe cenſebimus? Profecto Conradus, Ju-

(a) apud *du Cheſne* Tom. II. p. 377. 378. apud *Schilter* p. 107.

Judithæ Auguſtæ frater, ſororis conjugium felicitatemque in Franciam Occidentalem ſecutus, rebus ejus in deterius mutatis, anno 831. in Aquitania & ipſe aſceticam vitam degere juſſus, (b) poſt anni lapſum, ſcena mutata, ſorori ſororioque reſtitutus, (c) quod vero videtur ſimile, usque ad Ludovici exceſſum, gratia regis florens, nuptiis quoque filiæ ejus Adelaidis, ſi Blondello fides, (d) potitus, & monaſterii S. Germani, HERRICO monacho id teſtante, Princeps patronus, (e) in aula ſubſtiterat; Adeoque in hunc, Conradum Guelphum ſcilicet, mea quidem ſententia, longe rectius Nithardi verba quadrabunt, præprimis quia eum etiam ſequioribus temporibus in Gallia ſ. Francia Romana ſubſtitiſſe, ſatis probabile videtur. ANNALES certe BERTINIANI, (f) *Ludovicum & Lotharium* CHONRADI *ſui conſiliarii*, CAROLI

G *au-*

(b) *Nithard.* Lib. I. an. 831. ap. *du Cheſne* Tom. II. p. 360. *Thegan.* c. 36. p. 281.

(c) *Vit. & actus Ludovici* an. 831. ap. eund. p. 308. *Annal. Aſtron.* Reuber. an. eod.

(d) plen. aſſert. Geneal. Franc. p. 29. ſqq.

(e) Lib. II. cap. 1. Mirac. S. Germani ap. *Labbé* Bibl. MSta Tom. I.

(f) ap. *du Cheſne* Tom. III, p. 215.

autem AUVNCVLI, *qui ſuperincilioſa, ſed frivola, more ſueta ſcientia nitebatur, - - cauſas, quas Carolus Lothario reputabat, penitus rejeciſſe,* ad an. DCCCLXII. nos docent. Non me latet, hoc in loco multos, doctrina etiam præſtantes Viros ſe inveniſſe putare, quo probent, Conradum Caroli gratia non amplius fruentem, Conſiliarium inimicorum extitiſſe: at ſi verba attentius trutinemus, id potius indicare videntur, Conradum, ſua in Caroli conſilio more ſueta ſcientia, (qua ſcilicet ſemper ſua aliorum placitis præferri debere exiſtimabat) niſum, rege in alias partes abeunte, conſiliumque ſuum, quod optimum rebatur hoc modo calculo albo deſtitutum videntem, eo rem dirigere ſciviſſe, ut Ludovicus & Lotharius propoſitionem Caroli rejicerent. Profecto vox Conſiliarii tum nondum eo ſenſu quo hodie veſtita erat, potius quemlibet conſilium ſubminiſtrantem notabat, (g) etiam ab hoſtis partibus ſtantem. Vt adeo Conradus, licet ad tempus inimicorum Caroli conſiliarius, in

(g) *Ludevvig* Einleit. zum Müntzvveſen pag. 116. Gloſſ. *Cangii* h. voce. *Regino* an. 898.

in ejus tamen ministerio usque ad extremum vitæ halitum perstare potuerit. Qui enim, nisi hic verborum sensus fieri potuisset, ut vivum ANONYMVS ætate par, (h) mortuum vero cum Carlomanno Rege (hh) HERRICVS, in libello de miraculis S. Germani ad ipsum Carolum Calvum conscripto, summis laudibus efferret; (i) Id sanè non impetrabis à Scriptore, Regi per Conradi transitum ad Germanos offenso scribente, & hos ipsos, acerbo odio prosequente. (k) Habes ergo hic Conradum Nithardi, qui plane diversus est ab eo, quem ANNALES BERTINIANI ad annum DCCCLXXIX. memorant. Prior enim, Nithardi & Guelphicus Conradus, mortuorum numerum A. Dni DCCCLXII. 20. Februar. jam auxerat, (l) unde nemini verosimile videbitur, eum post XV. annos à mortuis

G 2

(h) ap. *Labbé* l. c. p. 530.

(hh) ap. *Mabillon*. de Re Diplom. Lib. VI. n. 113. p. 551.

(i) apud *Labbé* Bibl. MStæ Tom. I. Lib. 2. c. 2.

(k) Gundlingian. Tom. XX. pag. 429. seq. & *L'abbe* Bibl. MStæ Tom. I. pag. m. 560.

(l) *Blondell*. Geneal. Franc. plen. assert. pag. 39.

tuis resurrexisse, & Comitatui Parisiensi præsedisse. Ex binis ergo personis Gundlingius unicam efformavit, quod nunc demonstrandum. Cujas ergo posterior edisse-re? Novi ego QVERCETANVM, (m) CHIFFLETIVM, (n) BVCELINVM, (o) (at quanta nomina!) Conradum majorem Guelphicum axiomate Parisiensis Comitis mactasse, nostrumque Conradum Parisiensem ejus ex Adelaide filium credidisse, quod ultimum nec acerrimus Chiffletio-mastix BLONDELLVS diffiteri voluit, (p) ut adeo de eo altius cogirandum sit.

§. 5.

Equidem si de Conradi Majoris, Judithæ Augustæ fratris Comitatu Parisino res confecta esset, & ego, raro filios immeritos ac rebus gerendis aptos paternis honoribus excidisse gnarus, Virorum eruditissimorum menti subscriberem; at cum Conrado majori Comitis Parisiensis dignitatem plane abrogantem

(m) *du Chesne* Hist. Burgund. Lib. II. c. 7.
(n) *Chifflet.* Vindic. Hispan. p. 8.
(o) German. Topo-Chrono-Stemmatogr. Tom. III. p. 27.
(p) Plen. assert. Geneal. Franc. l. c.

rogantem Blondellum deprehendam, de ejus argumentis ſigillatim videndum, ne quid temere, ne quid præcipitanter, aut aſſeramus, aut negemus. Suſpicati fuerant, opinor, Conradi Pariſienſem Comitatum tuentes, eum in locum Gerardi de Roſſilone, quem antea diximus, Comitis Pariſienſis, ſuffectum eſſe; maxime cum Conradi Comitatus vel aliud officium ignoretur, & Gerardus armis poſitis redux, non in Pariſini pagi monimentis amplius appareat, verum, in ſolatium quaſi Pariſienſis Comitatus amiſſi & in alium translati, Bituricenſis Comitis munere auctus, ſe ſiſtat. Verum opponit BLONDELLVS: (a) *Alamannorum Ducatu* (Conradum Guelphicum Seniorem) *ſub Ludovico Rege ſororio inſignitum fuiſſe conſtat: Eum vero ne Pariſiorum Comitem Ludovico imperante fuiſſe credamus, ipſe Conradi ab anno DCCCXXIX. attonſi, & ad DCCCXXXI. ſub cuſtodia poſiti ſtatus, expreſſaque Nithardi, Gerardum Pariſiorum Comitatum (quo tempore Ludovicus Pius è vivis exiit) adminiſtrantem memorantis, auctoritas vetant. Nec poſt*

G 3 *ſub*

(a) plen. Aſſert. Geneal. Franc. p. 26. 27.

ſub Carolo Calvo Comitatum Pariſienſem ei creditum fuiſſe indicio eſt; quod à Lotharii minoris adverſus Judithæ ſororis filium partibus ſtetit, prout nos (ad annum DCCCLXII. quo vitam clauſit) Bertiniani Annales docent. Videbimus an hæc omnia recte ſe habeant, poſtmodum ſententiam noſtram ſubjecturi. Alamannici Ducatus Conradi noſtri indicium præbere dicitur charta, à VADIANO (b) edita, cujus finis: *Notavi diem Jovis, in VIII. Id. Octobr. regnante Domino Hludovvico Rege Alamannorum & Poioariorum nobiliſſimo, feliciter Amen.* Fatetur ipſe Vir Eruditus, chartam in An. Dni *DCCCXLV. aut DCCCLI. aut DCCCLVI. conferendam* eſſe, qua tempeſtate Ludovicus Germanicus Pii filius regnabat, & tamen hæc Ducatum Chonradi ſub Ludovico ſororio ſtabilire debebat! Quæ qualis, quanta! Imo ſatagat Blondellus, ne potius ad Ludovici Junioris quem certe deſignare videtur, vel etiam Infantis ævum pertineat, cum hos omnes Ludovicos Reges, Pium vero nunquam eo modo appellatum, ſcia-

(b) apud *Goldaſt.* Tom.III. Alamann. p.74. edit. prior.

ſciamus. (c) Jam ut Conradum Pariſiorum Comitem fuiſſe credant Blondelli adverſarii ipſa Nithardi auctoritas, Gerardi Comitis Parienſis caſum, & Conradum inter amicos Caroli memorantis in cauſa eſt, à quo tempore usque ad an. DCCCLXII. (d) ſat temporis ſupereſſe ajunt, quo Conradus Pariſienſem Comitatum nullum alium Comitem præferentibus monimentis adminiſtrare, atque cum vicinus eſſet, monaſterium S. Germani ornare potuerit, (e) præſertim cum tot Clariſſimorum Auctorum, queis multa Manuſcripta ad manus conſenſus eo collineet, neque etiam à Lotharii partibus ſtetiſſe Conradum Blondellus probare queat, quinimo ſi paucis ante obitum diebus mentem mutaſſe daretur, nil inde Blondello acceſſurum ſit. Hæc atque talia argumenta id quidem efficiunt, ut Blondelli aciem perfringant, disjiciant; hoc tamen quod docti Viri volunt non certum, ſed probabile tantum reddant. Absque enim Veterum auctoritate ingenii laudem quidem hæ

(c) Vid. amiciſſ. *Schannati* Archiv. Fuldenſ. vindicat. p. 60. ſqq. p. 69. ſqq.

(d) Add. §. 2. h. & hujus pr.

(e) Add. §. 4.

cogitationes merentur, non vero veritatis! Scis itaque, quid ſentiam? Ambiguus hæreo. Potuit certe Pariſiorum Comes fuiſſe Conradus; potuit longe alio honore fungi. Habuit filium Conradum, credo. Habuit eum in Comitatu Pariſino ſucceſſorem; neſcio: fortaſſis enim nullius rei nulla ſucceſſio. Fuit tamen Conradus quidam Comes Pariſiorum: Fuit inquam, ſed an is Conradus Minor Guelphicus? Hoc vero eſt altioris indaginis.

§. 6.

BLONDELLVS Conradum Minorem, Conradi majoris Guelphici natum, *Rhæticarum partium & Jurenſium Ducem, Lingonum & Pariſiaci Comitem, à Johanne VIII. Papa, Annalium Bertinianorum optimæ notæ ſcriptore, & Fulcoino Laubienſi monitus, credit.* (a) In eandem ſententiam LABBEVS, in eandem FELLERVS, LEIBNITIVS, ECCARDVS, alii, pedibus eunt. Verum contra hanc opinationem, pulcre ſane armatus, inſurgit Illuſtris GVNDLINGIVS, (b) ſi quidem

(a) Plen. aſſert. Geneal. Franc. p. 27.
(b) Neue Bibl. XXII. St. p. 861. ſqq. Gundlingian. XX. St. p. 421. ſqq.

dem Eberhardi non concedatur, nec Conradi Majoris Guelphici filium ullatenus esse potuisse Conradum Parisiensem Comitem, quem ipse & in Nithardo & Annalibus Bertinianis unum eundemque referri crediderit. Ejus ergo argumentorum robur, paulo curatius excussisse, juvabit. Profert (1) Nullum scriptorum eundem & Rhæticarum partium & Parisiaci Comitem vocare, nec per incursiones Normannorum licuisse, ut Comes Parisiensis, alium Comitatum administrans, domo abesset. (2) Conradi Minoris filios non fuisse Guncilo & Garinno nominatos, quos tamen Comiti Vermeriensi, quem ipse Parisinum credit, anno DCCCLXXV. expressis verbis tribuant Diplomara. (c) (3) Carolum Calvum ideo Comitem Vermeriensem *parentelæ propinquitate conjunctum* vocare, quia sororis ejus Alpaidis, ex Begone nepos fuerit. (4) Conradum Pariensem ob consequendos sine ulla dubitatione honores, quos hactenus obtinere non potuerat defecisse, (d) quod de Conrado

(c) apud *Mabillon* Annal. Benedict. Tom. III. p. 194. 680. *Gundlingian.* Tom. XX. p. 469.

(d) Annal. Bertin. a. 879. ap. *du Chesne* Tom. III.

minore ditiſſimo intelligi nequeat. (5) Neminem ſibi perſuadere poſſe, cum Hugo Conradi minoris frater, Ludovici & Carolomanni regnum curaverit, eum adverſus regnum fratremque fuiſſe moliturum. (6) Eſſe Vermeriam eum locum, ubi Gauzlenus & Conradus adverſus regnum conſpiraverint, ut adeo vel hinc id potius Conrado Vermerienſi adſcribendum ſit. (7) Carolomannum Hugonem cum fratre *tutorem regni Francici* appellare, (e) cum tamen ejus Conradus non potuerit non, Gallis omnibus exoſus eſſe. (8) Herricum de miraculis S. Germani nequiviſſe eum encomiis ornare, nec ut hoſtem Germanici nominis etiam voluiſſe, ſi Ludovicum & Carolomannum regno privare anniſus fuiſſet. (9) Plane non opus eſſe, ut quis operoſa probatione circa hæc defungatur, cum HERRICVS in miraculis S. Germani (f) ad Carolum Calvum conſcriptis, jam diſertis verbis fatus fuerit, omnes Chunradi majoris filios, excepto Hugone Abbete, *acerbo præventos*

(e) ap. *Mabillon.* de Re Diplom. Lib. VI. pag. 552. ex *Baluz.* Append. ad Concil. Narbon.

(f) ap. *Labbé* Tom. I. Bibl. MStæ Lib. II. c. 5.

ventos occaſu, ſortem ſeculorum proventui ſemper invidam, ſuſtuliſſe. Vt adeo impoſſibile ſit, Conradum de quo ſibi ſermo, unum eundemve cum minore Guelphico eſſe, utpote jamdudum mortuum. Nec obſtare hic ſibi coævorum, aliorumve (g) auctoritatem, qui a. 881. Guelphum Minorem vi fati raptum aſſerant, cum Herrico ſemper apud ſe major futura ſit fides. In hanc ſententiam Vir Illuſtris, cujus argumenta ita comparata ſunt, ut primo intuitu quemlibet ad ſe rapiant, verum ſi curatius trutines, ſi cuncta ſeparatim examines, tantum dubietatis oritur, ut nihil ſupra. Et certe, ſi Conradum Pariſienſem, res ſuas à Rhæticarum & Jurenſium partium duce Conrado Minore ſeorſim habuiſſe daretur, potius alia omnia quam id me conceſſurum eſſe ſcio, ut Vermerienſis Comes cum Pariſienſi unus idemque cenſeatur. Nondum expeditum eſt, Vermeriam in Pariſienſi Comitatu ſitam fuiſſe; & ſi non refragaremur, quis unquam vel fando accepit, Comitem quendam Pariſienſem, priſtino Comitatus no-

(g) huc refer inprimis *Chron. Senonenſe* ap. *Dacherium* in Spicileg. Tom. II. add. *Blondell.* l. c. p. 49.

nomine abjecto, se Vermeriensem Comitem dixisse? Non Stephanus, non Bego, non Gerardus, non Odo, non Hugo Magnus aut Capetus; & tamen Conradus, nomine Comitis Parisiensis satis notus, id factitasse sine exemplo creditur! Potius hic Conradus, ob nomen à palatio Vermeria in quo plurimum morabatur Carolus Calvus (h) sibi inditum, Palatinus Comes mihi videtur, non nisi beneficiis circa palatium, ad sustinendum muneris sui onus pertinentibus, & nullo alio præterea Comitatu insignis, unde hoc nomine, alias satis insolente, usus est. Sed cujas demum hic Conradus? Forte quærendus venit in numero filiorum nescio cujus CHVONRADI *Comitis, qui Caroli animum ad ultionem injuriarum suarum erexerant, Ludovicum securum, & paucos esse ex suis, qui cum eo remanserant, indicantes: Quos ille quidem quasi sibi fideles ad explorandos, sibique renuntiandos actus Caroli transmiserat.* (i) Fortassis inquam; neque enim

(h) vid. *Mabillon.* de re Diplom. Lib.IV.c.15 r. voc. *Vermeria.*

(i) *Annal. Fuld.* a. 858. ap. *du Chesne* Tom. II. pag. 555. *Freher.* Script. Rer. Germ. Tom.I.

enim eo in ficias, & Jurensium partium Ducem, Comitis Palatini dignitate ornatum esse potuisse. Habuerat patrem *Conradum principem famosissimum, Collegam regum, & inter primates aulicos admodum inclytum, regia munificentia maximum,* (k) erat proculdubio dives prædiorum in Gallia, ibique jam rerum suarum ipse satagens, & in regali Palatio existens, in ornando S. Germano, *parentum & probitati, & pietati, quam simillime responderat:* (l). Cum vero satis expeditum sit, utplurimum in vicina aut non longe dissita Monasteria procerum beneficia depluisse, conjectura ducor, eum esse eundem apud Mabillonium, Comitem Vermeriensem. Certe quem rectius *parentelæ* (m) *propinquitate conjunctum, Chunradum nobilissimum Comitem* (n) compellare poterat Carolus, per matrem sibi conjuncto consobrino? Imo annon eo modo Viri Illustris argumenta nos non feriunt? Et profecto, sive

(k) *Herricus* de mirac. S. Germani Lib. II. c. 2. ap. *Labbé* Tom. I. Bibl. MStæ.

(l) Ibid. c. 5.

(m) vid. *du Cange* voc. Parentela & Diplom. ap. *Leuckfeld* de Bract. p. 243.

(n) Gundlingian. Tom. XX. p. 468.

ſive Conradus ille Vermerienſis Guelphicus, ſive alius quispiam ſit, ſuffecerit mihi, ſi eum non fuiſſe Pariſienſem Comitem detur, adeoque, quantum quidem conſtat, in Germaniam fugam non capeſſiviſſe. Sed *donationem laudaverunt Guilo & Garinno heredes ejus, Comites, qui haud-dubie Conradus & Gebhardus poſtea in Francia Orientali exiſtentes*; profecto in poſterum non erunt, cum nec patrem nec filios in Germaniam veniſſe, affatim probatum dederimus. Sed *id nomen filios Conradus Guelphicus Minor non habuit?* Mea, ut dixi, non intereſt; & certe novimus, multos vate ſacro carentes Procerum filios filiasque, Parentibus ex Diplomatis reſtitutos eſſe; imo eo Jure, quo Vir Illuſtris Eberhardum & Rudolphum poſtea natos credidit, nos infra pubertatem ad meliores ſedes translatos eſſe hos Conradi minoris filios tantiſper conjiciemus, donec tempus certiora docuerit; Hæc aſſerentibus de Conradi obitu quæſtio nulla, ſive is Carolum communem naturæ Legem explendo anteverterit, ſive ſecutus fuerit, perinde eſt, cum Vermerienſem Comitem à Pariſienſi, quisquis prior demum fuerit, minimum diverſum fuiſſe, adeoque Gundlingianum ſyſtema

ſtema non cohærere, ſatis ab oculos poſuerimus. Alias ſi hanc contentionis ſerram diutius reciprocandi animus nobis ſtaret, cum *Blondello* (o) Herricum quidem circa an. 876. opuſculum ſuum ſæpedictum compilaſſe, ſed poſt annum 881. eo tempore quo jam omnes Conradi majoris filii præter Hugonem Abbatem perierant edidiſſe, dicere liceret, qua re & ſcriptorum Conradi Minoris obitum ad an. 881. narrantium, fides, & Herrici noſtri narratio ſalvæ forent. Adderem, Herricum plane poſt annum 884. demum præfamen concinnaſſe videri, quia teſte Diplomate Carolomanni 884. dato, (p) eo adhuc tempore Hugo, *pro divina ſibi clementia cum fratribus* (haud dubie viventibus) *obtinenda* S. Germano Autiſiodorenſi nonnulla attribuit. Et hæc ſufficiant!

§. 7.

Sed demus tandem in ſpeciem, Vermerienſem Comitem Conradum diverſum non fuiſſe à Pariſienſi, adeoque Virum Illuſtrem eatenus non tantis ſtricturis expoſitum

(o) plen. aſſert. Geneal. Franc. p. 50.

(p) ap. *Mabillon.* de Re Diplomat. Lib. VI. n. 113. p. 551.

tum esse; minime sane ideo statuamus necessum est, parentem hunc in Germaniam delatum, filiis suis illic sedes parasse. Affert quidem Vir Illustris locum ex ANNALIBUS BERTINIANIS, (a) Gozlenum Abbatem, Caroli M. nepotem, & Conradum Parisiensem Comitem, ut Ludovicus junior Germaniæ Rex, consobrini sui hereditatis cernendæ causa, binis vicibus Galliam adiret, nec nisi cessa Lotharingici regni portione quæ ad Franciam Occidentalem spectabat, à proposito totum regnum sibi vindicandi dimoveri posset, machinatos esse, prodentem; verum *hanc ob noxam Conrado & Gozleno Abbati, Abbatia & Comitatu regio munere concessis carendum, & in Germania subsistendum fuisse*, nunquam probabitur. Nos enim ex Annalium Bertinianorum narratione didicimus, pace, Germanis Lotharingiam addicente, bello finem impositum esse: Quis ergo credat, Ludovicum juniorem, pacis conditionibus superiorem, suos asseclas adeo neglexisse, ut eorum inter reliquas pacis conditiones, more consueto, rationem non ha-

(a) an. 879. 880. Tom. III. Rer. Francic. *du Chesne*.

haberet? Nullus omnino. Et inde eſt, ut Gotzlenus Epiſcopatui Pariſienſi denuo admotus, illum usque ad extremum vitæ halitum adminiſtraret. (b) Conradi ergo Pariſienſis, in eadem cauſa cum Gotzleno exiſtentis, quis dubitet eandem fuiſſe fortunam? Vtrumque ergo reſtitutum putabimus. Senſit Vir Illuſtris eſſe quod ſibi opponi queat, ideoque cautus nobis perſuadere conatus eſt, Gozlenum demum Ludovico Juniore parentibus addito Galliam repetiiſſe, (c) & ſtatim à Chuonradi diſceſſu, Hugonem Abbatem, & Roberti fortis filium, in Comltatus Pariſienſis adminiſtratione (d) ſe invicem excipientes inveniri. Sed ego pace ſummi Viri dixero, Ducatum inter Ligerim & Sequanam quem Hugo rexit, longe diverſum fuiſſe à Comitatu Pariſiorum, quod vel ANNALES METENSES ſoli, ſatis abundeque in aprico ponunt. Subjicio, nec mea mente Hugonis Ducatum aut Odonis Comitatum in ea tempora incidere, de quibus Illuſtri Viro ſermo eſt. *Patre in Germaniam digrediente, cum eo ſolum*

H *ver-*

(b) *Annal. Met.* an. 887.
(c) Gundl. Tom. XX. p. 429.
(d) l. c. Neue Bibl. l. c. p. 865.

vertisse dicuntur Guilo & Garinno, (e) inter Franconiæ Duces, sub nomine Cunonis & Gebehardi celeberrimi. At ego patrem duos filios numerantem audivi, unde ergo reliqui, Eberhardus & Rudolphus? Hos Vir Illustris *fortassis post Diploma editum natos* vult; (f) qua de re paucis. Tempus quo Chonradi Diploma conscriptum, erat annus ab orbe redemto DCCC. LXXVII.; hoc si nondum lucem, adspexisse Eberhardum & Rudolphum statuamus, nescio quid REGINONI (g) facturi simus, nescio quid & aliis; Rudolphum Anno DCCCXCII. jam Episcopum, (minimum quod omnes noverunt, secundum canones, constitutionis tempore XXX. annos egressum,) & anno DCCCCIII. Eberhardi filios nobis narrantibus. Quinimo hi plane ordinem invertunt, & Gebelhardo anno DCCCCX. demum lumina claudenti filios pueros, (stilo ejus ævi adolescentes rebus gerendis nondum admotos,) Eberhardo vero jam anno DCCCCIII. virilis ætatis prolem, honoribus & beneficiis regiis insignem attribuunt, ex cujus

(e) Add. §. præced.
(f) Gundling. Tom. XX. p. 432.
(g) *Regino* h. anno, apud *Pistor.* Tom. I.

jus numero Churzibolt, haut ita longe post, exercitus duxit. Hic nos subsistimus, plura, etsi possemus, non congerentes; tu Lector arbiter esto, num à Begone, Eberardo, Vdone, aut Conrado, nostros Franciæ Orientalis Principes derivare liceat, an vero potius in omnia alia abeundum sit.

CAPUT VIII.

Genealogiam Familiæ Augustæ Francicæ, & data occasione aliarum emendat, supplet.

SYLLABUS.

§. 1. *B. Eccardi de familiæ Augustæ Francicæ serie Genealogica cogitationes.*

§. 2. *Origo ultima à Warino & Ruodhardo absque hæsitatione deduci posse videtur.*

§. 3. *Graduum usque ad Conradi I. Regis parentem & fratres conjecturæ.*

§. 4. *Paulo certiora de Conradi Senioris avo, patre, & uxoris ejus parente, quem Arnolphum Imperatorem extitisse, haud vulgaribus argumentis evincitur.*

§. 5. *De Werinhero Conradi Senioris filio, Conradi I. Regis fratre, patre Conradi Sapientis, aliisque Augustæ gentis particulis.*

§. 1.

Est id Germanis noſtris familiare, propria ut ſpernant, externa ſuſpicientes. Hinc factum, ut antiquitus, cum non additis probationibus, ſola autoritate hominum Genealogiæ ſtarent, audaciſſimus quisque de Principibus ſuis ſe bene meritum putaret, ſi ad Romanos aut Italos, primos gentis ſatores, quocunque demum modo id fieret, referre poſſet. Probationes noſtro ævo addi conſuetæ, his malis quidem finem attulere, plurimi tamen id quodcunque eſt præjudicii nondum poſuere, ut originibus exteris hæreant, ſtudium, induſtriamque ſuam in Germania rectius collocaturi. Inter eos qui mecum ſentiunt, Jure ſuo laudari merebatur Illuſt. ECCARDVS, præprimis in Originibus Habſpurgo-Auſtriacis, theſeos hujus in re præſenti Exemplum ſiſtens, atque Principum cohortem, quaſi ex equo Trojano educens. In eodem opere Vir doctiſſimus & Franciæ Orientalis Co-

mitum origines attigit, (a) atque nova semita incedens, Germanum eorum Parentem constituit, addens, se integram Genealogiam alibi additis probationibus fulcivisse. Has vero licet adhuc quæram, nec etiam in *Commentariis de rebus Franciæ Orientalis* (b) inveniam, volui tamen id fragmentum, judicio lectoris permissum heic legi:

(a) p.73.
(a) ubi Lib. XXXI. XXXII. & XXXIII. huc delabitur.

Werinherus Comes a. DCCCC.
Vx. 1. *N.* 2. *Vta*, quæ post Arnulfo Imperatori nupsit.

ex prima. | ex Vta.

1. Gebehardus Comes † 910.

2. Eberhardus Comes † 902.

3. Rudolphus Episc. Herbip. † 908.

Conradus Comes † 906. Vx. Glismuot. † 924.

Vdo Dux Fr. † 949. Vx. N. Heriberti Com. Veromand. filia.

Herimannus D. Suev. † 949. Vx. Regilinda.

Ita Ludolfo nupta.

Conradus Curcipold Comes † 948.

Werinherus Comes † 913. unde Conrad. Salicus.

Conrad Rex Germaniæ.

Eberhard Dux Fr. † 938.

Conradus Comes † 953.

Otto Comes † 938.

Gevehardus Comes † 938.

Vdo Dux Franc. † 982.

Conrad Dux Suev. † 997.

Heribertus Comes † 997.

Juditha vx. Henrici Comstadiensis.

Eberhardus.

Luitgard vx. Lancelini Comes Altenburg.

Gevehardus.

Herimannus Dux Sueviæ & Alsatiæ 1004. Vx. Gerberga Burgundica.

Gisela Vx. Brunonis Ducis Sax. Ernesti Duc. Suev. Conradi Salici.

Mathildis Vx. Conradi Ducis Carentani.

Hermannus Dux Suev. puer a. 1012.

Sed

Sed ut quis probationes, quas B. Eccardus dare voluit, non omni exceptione majores existimet, ipse Vir Illustris facit, dum haud ita longe post Genealogiam suam hunc in modum mutat:

Werinherus Comes.

Vdo Dux Francor. † 949.	Conradus Crucipold † 948.
Vdo II. Dux Francor. † 982. *	Conradus Dux Lotharingiæ † 955. *

Sed adhuc tertia vice se ipsum correxit B. Eccardus, dum cit. opere de Francia orientali (c) stemma sequens concinnat:

* Warinus Francus. fisci regii in Alem. exactor. *	* Ruodhardus Suevus. fisci regii in Alem. exactor.

Werenharius ex primoribus Francorum a. 866. comitatu in Suevia præditus.

Werinherus Adelberti Collega, missus regius.

|

Rudol-

(c) Lib. 31. p. 718.

Rudolphus Episcopus Herbipol.	Gebehardus. Comes.	Conradus. Comes.	Eberhardus. Comes.

Quam vero multis dubietatibus & hæc exposita sit, ex iis quæ postea demonstrabimus, in luce ponetur.

§. 2.

Quod jam dixi, ubique probationes desidero, eamque ob causam diversa ratione mihi incedendum existimavi. Hinc novam plane Deductionem Genealogicam, quousque id opus fuit molitus sum, Tab. I. II. & III. se tuis obtutibus præbentem, eum in finem, ut albo adjecto stet, atro vero calculo notata, cadat. De probationibus id modo moneo, prolixas eas non fore, sufficiet enim aliis aut plane non, aut minus recte dicta testibus firmasse, quæ contra omnibus in confesso, aut etiam Viro Eruditissimo *Johanni Davidi* KOELERO, in laudatissima de familia Augusta Franconica Dissertatione jam satis adstructa sunt, sponte mittemus, in aliorum diligentia acquiescentes. Sed age ordiamur! Erant

Tab. Geneal. I. II. III.

Pipini

Ad Caput VIII. §. 2. & 3. pag. 124.

Schema Genealogicum familiæ Auguſtæ Francicæ I.

* * *

Sect. I.

(1) Warinus.
Seculo VIII. perſecutor S. Othmari, Cameræ nuncius in Suevia.

(2) Warino Comes pagi Lobodunenſis vix. an. 765. 775. 780. vx. Frideruna occ. an. 780.

(3) Eburacar a. 786. † a. 813. (4) Vto. occ. an. 813.
Comites pagi Wormacenſis.

(5) Hatto. (5) Waluram. (5) Gebahart. (5) Liuvicho. † 813.
Comites Wettereibæ, in Haſſia, & pago Wormacenſi. a. 780. 790. *ſqq.*

(6) Werine nuncius Imperatoris a. 806. † 828. (7) Hludovinus occ. a. 836.

(8) Gerhardus occ. a. 856.

(9) Leidratus Com. Fr. Advoc. Fuld. occ. a. 838. 848. Vx. N. Sueva filia Ratolfi Comitis.

(10) Conradus Dux, Cameræ nuncius in Suevia a. 852. ſqq.

(11) Werenharius Comes occ. 866.

(12) Rudolfus Comes. Fuldenſis Advocatus occ. a. 852.

(13) Conradus Comes, Haſſiæ Angariæque Præſes, Fuldenſis Advoc. occ. ab an. 880. † 906. Vx. Glismuot Arnolphi Imp. filia. † 924. *vid. Tab. II.*

(14) Rudolphus Epiſcopus Herbipolenſis † 908.

(15) Luitfrid occ. 790. ut videtur paulo poſt mortuus.
Luitfrid Comes pagi Lobetungowe an. 910.

(16) Eberhardus Comes Fr. † 902. *vid. Tab. II.*

(17) Gebehardus Comes Franciæ, Advocatus Fuldenſis. † 910. *vid. Tab. II.*

Sect. II.

* *

(18) Ruodhardus
Sec. VIII. perſecutor S. Othmari, Cameræ nuncius in Suevia.
(19) Welpho cum poſteritate. * * * (19)

* * *

(20) Luitfrid. † a. 864. (20) Erchanker. † a. 864. (20) Ruddolf. † a. 864. (20) Burchardus occ. a. 853.

(21) N. filia Comitis Leidrati conjux. (22) N. ſoror cujus filius Luitfridus. (23) Erchanker.

(24) Burchart. a. 880.

(25) Bertholdus. Sec. X. (26) N. filia Conradi I. Regis conjux. (27) Erchingerus Sec. X.

Tab. I. Pipini Nani temporibus in Alemannia Duces ſive Comites, Cameræ nuncii, *Warinus & Ruodhardus*, *qui Beatum & Sanctum Virum Othmarum, multis injuriis affligebant*, (a) quos poſtea ſequiſeculo & ultra elapſo ſtrenue imitabantur, haud dubie poſteri illorum, Bertholdus & Erchanger. De horum Comitatibus genteque ſolicitus eſt cum STVMPFIO (b) GOLDASTVS, (c) necnon CRVSIVS in Suevicis, (d) ſed tutius in tantis tenebris ſilentium, niſi nova prodeant monimenta. TOLNERVS eos ab antiquis Alemanniæ & Alſatiæ Ducibus, per Francos conſtitutis, haud ſine veritatis ſimilitudine deſcendere jubet. (e) SIFRIDVS Miſnenſis (f) familiam Auguſtam Francicam ſive

(a) *Hepidanni* Annal. aa. 758. ap. *du Cheſne* Tomo III. & *Goldaſt.* Alemann. Tom. I. pag. 40. *Ekkehard.* Jun. de caſ. Monaſt. S. Galli ap. eund. *Goldaſt.* Tom. I. pag. 15. *Ratpert.* de caſ. Monaſt. S. Galli ap. eund. c. 2.

(b) Schvveitz. Chron. Lib. IV. c. 31.

(c) Alemann. Tom. II. P. I. p. 46. 52. 65. not. ad Ratpert. c. 2.

(d) Part. I. p. 309.

(e) Hiſt. Palat. Tab. G. p. 162.

(f) ap. *Piſtor.* Tom. I. p. 690.

ſive Franconicam, quæ citra ullum dubium ab his derivanda, ad Clodovæum M. ultimum ſatorem refert, adeo ut hic Principum noſtrorum atavus eſſe queat. Sed hoc, quod dixi, nova lumina extricent, neceſſum eſt, Mihi in præſens ſufficiat, Conradum I. Regem ab his Warino & Ruodhardo ſanguinem duxiſſe. Id profecto extra dubium ponunt EKKEHARDI JVNIORIS verba: (g) *Ingreditur*, inquit, *tandem* (Conradus I. ſcilicet) *oratorium Beati Othmari, authoritate Romana in ſanctum levati, (nam parentes ejus erant qui eum vexaverant) ſeque reum, quaſi ipſe interfuerit, factis, ad ejus aram reddidit* &c. Quinimo poſt mortem violentam Bertholdi & Erchangeri idem Rex, *omni anno dum vixit, cenſum capitis ſui ad ſepulchrum S. Othmari* QVASI FILIVS CARNIFICVM ILLORVM, *pro reatu in eum quaſi proprio miſit.* (k) Qua de re præterea STVMPFIVS, (l) & CRVSIVS in Suevicis teſtantur. Habes ergo proavos Conradi

(g) ap. *Goldaſt.* Alemann. Tom. II. P. I. pag. 17.

(k) Ib. p. 18.

(l) Schvveitz. Chron. Lib. IV. c. 31. 34. fol. 313. ed. 1606.

radi I., ſed cum hic duobus patribus beatus eſſe nequiverit, & tamen Ekkehardus & Warinum & Ruthardum parentum ejus nomine compellet, modus ſane, quo hoc fieri potuerit, quærendus erit. Sed nec hoc deſtituimur. Non ignotum eſt, Clericos antiquiſſimorum temporum nuptias inituris præcipue hoc commendaſſe, ut monitum Iſaaci aliorumque Patriarcharum penſi habentes, ſanguinis conjunctionem in deligendis uxoribus ſpectarent, quod & hic uſuveniſſe, atque maſculum ex ſtemmate Warini, femellam ex ſtemmate Ruodhardi duxiſſe, opinor. Fors pluribus vicibus id accidit, mihi vel unicus caſus ſufficit. Novi ipſum Conradum I. Regem hoc Exemplum ſecutum Bertholdi & Erchingeri ſororis Cunigundæ matrimonium appetiiſſe, ſed id extra oleas. Et hæc quidem omnia ſatis expedita ſunt. Quo vero conjiciendi artem nonnihil exerceremus, ſimul vero Ludovici nomen in gente Auguſta de qua nunc ſermo, & ante Ludovici Barbati tempora non infrequens fuiſſe nonnullis fors perſuaderemus, gradus omnes à Werenhero ſive Warino & Ruothardo non plane improbabili ratione dare inſtituimus, uti id Tab. I. videre eſt.

§. 3.

§. 3.

Heic qua ex cauſa Warinus & Ruodhardus num. 1. & 17. ultimi parentes binarum linearum conſtituti ſint, jam expoſuimus. Filium vero prioris (2) Werenherum Comitem Lobodunenſem in Plurimum Reverendi *Schannati* Tradit. Fuld. (a) a. 765. me inveniſſe exiſtimo, poſt parentis fata, in Franciam translatum. Is denuo ſe ſiſtit a. 771. (b) & rurſus a. 780. cum uxore Frideruna, (c) haud dubie Haganonis Comitis in pago Wormacenſi filia, Ludovici vero ejus filii, & fratrum ſorore.

(3) Collocavi ejus filium Eburacarem Fuldæ an. DCCLXXXVI. exiſtentem, (d) probabiliter vero DCCCXIII. (e) carne ſolutum.

(4) Sequitur Vto, præcedentis frater

a. 797.

(a) p. 11. *Actum in Lobsduna civitate*. - - †*Warino Comitis*.

(b) Ib. p. 17.

(c) Ib. pag. 33. ſeq. ubi nota Viri videnda.

(d) Ib. p. 40.

(e) Necrol. Fuld. ap. *Leibnit.* & *Schannat.* an. 813.

a. 797. & 813. (f) cui (5) Hattonem, Waluramum, Gebahartum, Liuvichonem, fratrum loco addere placuit, annis 780. 790. sqq. deprehensos, (g) quorum hic, Liuvicho nempe, an. 813. (h) deceſſit.

(6) Progredimur ad Werine nuncium Imperatoris an. 806. occurrentem, (i) cui annum 828. fatalem accidiſſe, NECROLOGIO FVLDENSI (k) credimus.

(7) Hludovinus ſ. Hludovicus potius, a. 834. & 836. (l) teſtis Fuldæ exiſtens, prioris Liuvichonis filius videtur.

(8) Gerhardus an. 856. florens, (m) temporis Analogia permittente Werini filius eſſe potuit, nec longe à Fulda habitaſſe, & inter ejus præcipuos benefactores fuiſſe videtur.

(9) Leidratus Comes Franciæ Advo-

(f) *Schannat* Tradit. p. 66. p. 110.

(g) *Id.* pag. 21. 36. 40. 41. 43. 47. 59. 61. 66. 71. 100.

(h) Necrolog. Fuld. h. anno.

(i) *Schann.* Trad. p. 95.

(k) d. anno ap. *Schannat.* & *Leibnit.*

(l) *Schann.* Trad. p. 163. 165.

(m) Ib. p. 192.

catus Fuldensis, haud improbabiliter alter Werneri filius occ. a. 838. (n) & 848. (o)

(10) De Conrado Duce, Cameræ nuncio in Suevia, tertio Wernheri filio, supra satis disputatum. Ejus memoria an. DCCCLII. sqq. (p)

(11) Werenharium Francorum, Primorem a. 866. (q) offendimus nominis in familia recepti & Franciscæ originis causa, quartum Werneri filiorum existimatum, in quo B. Eccardo consentiente utimur.

(12) Rudolfus Comes, Fuldensis Advocatus P. R. SCHANNATO (r) ideo audit, quia DCCCLII. (s) omnibus Ecclesiæ Fuldensis ministerialibus præfertur. Et sane eum huic muneri præfuisse, non à vero alienum. Huic matrem Rudolfi filiam, patrem Leidratum dedimus, quia tum utriusque lineæ Comitum Francicorum, quod diximus, per matrimonium ea coalitio facta, ex qua Conradus I. prognatus est. Non obscure etiam

(n) Ib. p. 172.
(o) Ib. p. 191.
(p) cap. præced. § 5.
(q) Annal. Fuld. ap. Freher. Tom. I.
(r) Hist. Fuld. Tom. I. p. 75.
(s) in Dipl. Diœces. Fuld. Prob. pag. 238. inserto.

etiam nomen nostri id signat, id quod alteri lineæ Francicæ, non vero huic solemne est. Eo minus vero in hoc admittendo difficiles nos præbuimus, quia Leidratus post annum 848. non amplius apparet, hic vero in ejus locum suffectus est, sine dubio defuncti, summorum meritorum Fuldensis Advocati, filius & heres. Obvius est præter supra tacta aliis in locis, quæ notare supersedimus, usque ad annum 866. & ultra.

(13) Conradus Comes Hassiæ Angariæque Præses prodit; ab anno 780. usque ad ann. 906. quo occisus est, conspicuus. (t)

(14) Rudolphus Episcopus Herbipolensis Conradi præcedentis frater, extra omne dubium est, ut deinde dicetur latius.

(15) Luitfrid an. 889. (u) ut videtur paulo post mortuus. Hunc ut insereremus, nil præter nomen in causa est. Forte vero ejus filius fuit, qui an. 912. (x) Comitatui Lobotungowe cum potestate præerat.

(t) p. 214. 219. 221. 235. 222. apud *Schannat.* in Tradit. & Necrolog. in s. Diœces. Fuld. ad an. 906.

(u) ap. *Schannat.* Tradit. p. 214.

(x) ap. *Tolner* Cod. Dipl. Pal. p. 13.

(16) Eberhardus priorum frater notiſſimus, de quo mox.

(17) Gebehardus Comes Franciæ, Advocatus Fuldenſis, itidem denuo trutinandus.

(18) ſqq. Probationibus illuſtrare ſuperſedebimus, alio tempore de his gradibus plura prolaturi.

Cave vero exiſtimes, nos quæ hoc paragrapho diximus fixa firmaque velle, cum potius demonſtrare voluerimus, quam non difficile ſit, ſi more Eccardino & nonnullorum recentiorum procedas, integras Genealogias orbi obtrudere, de quibus ſemper dici queat, eas alibi probatum iri. Forte inter eos quos collocavimus, nonnulli exiſtent, revera ad Genus Francicum ſpectantes, cum tamen ambigam, omnia potius reliquam in medium.

§. 4.

Profecto de Conradi Senioris avo Leidrato & patre Rudolfo vix hæſitem. Hi Advocati Fuldenſes, quod munus & Conrado quem dixi, & Conrado I. Regi fuit, ut adeo ægre dubium ſuboriri queat, quin jamtum hereditarium extiterit. Sed ſcrupulos

los movet P. R. SCHANNATVS, Leidrati Advocati ſucceſſores, ab iis quos diximus plane diverſos, narrans. (a) Nos vero licet à Viro Eruditiſſimo illubentes ſeorſim ſentiamus, tamen ex Diplomatis in ejus Traditionibus Fuldenſibus (b) typis expreſſis ſatis conſtare arbitramur, Gebehardum & Conrados ſeniorem ac juniorem poſtea Regem Advocatos Fuldenſes cluiſſe, (c) ut adeo Gozonem & reliquos Subadvocatorum ſpartam tantum obiiſſe, plus quam certum putemus. Nunc ad Conradi & fratrum geſta nos convertimus, ea occaſione generis deductionem magis elucubraturi. Primus REGINO (d) magni in Hiſtoria patria nominis, nos certiores reddit, Eberhardum, Gebelhardum, Conradum & Rudolphum Epiſcopum Herbipolenſem, Franciæ Orientalis Comites fratresve, bellam ſane ob cauſſam, *Nobilitatem* nempe *carnis*, *parentum numeroſam multitudinem*, *magnitudinemque terrenæ poteſtatis*, (e) cum aliis

(a) Hiſtor. Fuld. Part. II. p. 75.
(b) p. 214. 221. 225.
(c) confer Analect. Haſſ. Collect. III. p. 209. ſqq.
(d) ad an. 902. & 905. ap. *Piſtor.* Tom. I.
(e) Id. 897.

aliis tribus fratribus, Henrici Ducis filiis, funesto utrinque exitu pugnasse. Et hic nostros habes, quorum supra meminimus. Horum maximum natu Conradum credidi, quod is & anno 892. summos honores gerebat, & cum moreretur filium relinquebat, jam exercitibus ducendis aptum, imo anno 911. proceribus dignum visum, cui Imperium, ob Hunorum crebras incursiones constantem & defæcati Judicii virum requirens, conferrent. Proximo à Conrado loco Rudolphum constitui, quia Episcopalis dignitas gravem, & paulo provectiorem ætatem mihi velle videbatur; (f) cui accedebat, mortem eum jam oppressisse anno DCCCCVIII. (g) forte multos annos numerantem, eosque quos homines fere attingere solent. Cum autem de horum fratribus Gebelhardo & Eberhardo legamus, anno DCCCCIII. Eberhardi filios apud matrem adhuc extitisse, Gebehardi vero filios anno DCCCCX. nondum adolescentiam fuisse agressos, non dubitavimus illum tertio, hunc

(f) c. cum in cunctis, 7. X. de Electione.

(g) *Friese* Würtzb. Chron. p. 426. 430. apud Ludevvig Scriptor. Herbipol. Necrol. Fuld. ap. *Leibnit.* & *Schannat.* h. anno.

hunc quarto loco constituere. En consilii mei rationem! Nunc etiam de Conradi uxore & liberis nonnulla accipe! Conrado Comiti Nobilem feminam Glismuot matrimonii Lege sociatam fuisse in aprico est, unde vero illa fuerit oriunda, nostro ævo nemo demonstrare potuit, cum tamen HARTMANNVS (h) jam ante seculum & quod excurrit senserit, eam Arnolphi Regis filiam æstimandam. *Conradum*, inquit, *Conradi filium, Franciæ Orientalis Ducem, Hassiæ & Vederoviæ Comitem Provincialem, qui ex Ludovici Regis sorore genitus, ex sanguine Caroli M. eam partem erat*, (Germani) *regnare jusserunt*. Ego, qui cum Hartmannum legerem jam in ea sententia fueram, ut Arnolpho hanc filiam postliminio adscriberem, hoc consensu reperto gaudio exultabam, id modo unice dolens, Hartmañum auctorem suum, haud dubie Manu exaratum, non nominasse. Sed quicquid demum de Hartmanno sit, aliunde certe, id quod volumus, satis confici poterit. (I) Erat nostris medii ævi scriptoribus satis notum, Conradum I. à Carolo M. sanguinem ducere,

(h) Annal. Einsidelens. p. 28.

re, (i) noverant etiam, illum Ludovicum Infantem Germaniæ Regem proxime contingere, ideoque Ludovicum, qui Rudolphi Episcopi Herbipolensis exilium, Eberhardi Comitis necem, filiorum ejus & viduæ damna, aliaque æquis oculis spectaverat, statim à Conradi nece adeo in Adalbertum exarsisse, ut ira ejus non nisi sanguine restringui potuerit. Accedebat, Francos, regno quippe hereditarii ferme speciem referente, Conradum minime electuros fuisse, si non defuncto Regi sanguine fuisset proximus. Hinc vero plurimæ fabulæ: Alter Conradum I. Ludovici Infantis ex fratre nepotem, (k) idque non sine aliquorum à Regis ævo haud adeo remotorum applausu, dictitabat; Alter, ignarus juventæ Ludovici, & non nisi sponsaliorum ab eo contractorum, hujus generum Conradum jactitabat. (l) Tertius errores erroribus cumulans, Ludovici Infantis ex Conrado, ab Adelberto occiso nepotem, (m) affirmabat. Donec

(i) *Herm. Contract.* a. 818. alii.

(k) *Otto Frising.* ap. Vrstis. Lib. VI. Chron. c. 1. antiquorum testimonio subnixus.

(l) *Nangius* ap. du Chesne Tom. II. p. 627.

(m) *Gotfrid. Viterbiens.* Chr. ap. *Pistor.* T. II. p. 473.

nec tandem noſtris temporibus inveniretur, qui Seniorem Conradum, Ludovici Infantis uterinum fratrem, (n) nec ipſe de Conradi & Ludovici ætate componenda multum ſolicitus, compellaret. Omnes ſane in eo concordare videas, Ludovicum Infantem & ejus ſucceſſorem Conradum I. ab uno eodemque ſtipite deducendos eſſe, quod cum per maſculos impoſſibile, neque enim id ſcriptores ejusdem ævi tacuiſſent, per feminini ſexus conſanguinitatem contigerit, ut concedamus, inevitabile ferme apparet: Quando itaque (2) Ludovicus Infans apud BROWERVM (o) (qui & ipſe eam ob cauſam tam in Fuldenſibus quam Trevirenſibus Ottonis Friſingenſis opinionem amplexus erat) in Dipl. dat. IV. Id. Febr. Franconofurt an. DCCCCIX. *Brechene - - - prædium dilecto Comiti Chuonrato Eburhardi filio* (quem Churzibolt vocabant) *attribuens*, in eo CHVONRATVM DVCEM EGREGIVM ET FIDELEM NEPOTEM (qui hauddubie noſter Conradus I. poſtea Rex fuit,) laudat; quando itidem

K ſupra-

(n) *Eccard.* ſupra §. 1.

(o) Trevirenſ. Libr. IX. §. 67. p. 445. *Martene* & *Durand* Theſaur. Anecdot. noviſſ. Tom. III. p. 139.

ſupradictus Rex a. 911. (p) eum *venerabilis Comitis* & *amabilis nepotis* elogio afficit, eum non alio modo atque per ſororem ejus nepotem exiſtere potuiſſe, credemus. En tibi Arnolfi ex filia, Ludovici Infantis, ex ſorore, nepotem Conradum Primum! Verum ſolum nepotis elogium non efficere, ut quis ſtatim aut filia, aut ſorore (fratre) alicujus cretus cenſeri queat, B. GVNDLINGIVS (q) obmuſſitat, dum auctorum locis larga manu præbitis infit: *Quid igigitur inconcinni foret, ſi dicamus, Ludovicum Conradum appellaſſe nepotem, quia ex Ludovici Pii ſanguine per filiam procreatus fuit.* Verum ut nunc hanc propinquitatem nimis longe repetitam, adhæc fictitiam Conradi per Begonem originem Carolinam ſupra exploſam taceam; loca B. Gundlingio adducta certe non aliud, quam olim diverſorum graduum genuina nomina perperam confuſa adſtruunt,

(p) ap. *Eccard.* in Comment. de reb. Franc. Orientalis Lib. XXIII. Tom. II. §. 12. p. 829.

(q) Diſſ. de ſtatu Germaniæ ſub Conrado I. p. 27. 28. quam emendaturus, ſi licuiſſet, erat. Huic adſtipulatur Eccard, loco proxime cit. p. 824.

ſtruunt, minime verò adeo remotos nepotum nomine veniſſe, probant. Imo ſi verum fateri licet, theſeos à Viro Illuſtri prolatæ binæ demonſtrationes requirebantur, quarum altera Ludovici ævo τὸ *nepos* non amplius ex filio fratre ſororeve procreatos proprie deſignaſſe, altera id remotioribus tributum, efficeretur. Prius obnitentibus Clariſſimis ſcriptoribus WITICHINDO (r) HEPIDANNO (s) ANNALISTA BERTINIANO, (t) GOTFRIDO VITERBIENSI, (u) aliisque multis, fieri non poterat; Poſterius & ipſum Gundlingium ſusque deque habuiſſe, ſupra oſtendimus. Vt adeo nec Gundlingii objectiones efficiant, quominus Conradus I. Arnolphi è filia nepos clueat. Non ignotum mihi eſt, quam plane diverſam conſanguinitatis inter Ludovicum Infantem Regem & Conradum Ducem demonſtrandæ rationem ineat

(r) Lib. I. Annal. ap. *Meibom.* Tom. I. pag. 632. ubi: *Miſerearis tamen miſeræ ſaltem ſororis, & nepotum in ultima neceſſitate conſtitutorum.*

(s) ad an. 913. apud *du Cheſne* Tom. III. pag. 474.

(t) a. 861. ap. *du Cheſne* Tom. III. p. 213.

(u) Chronic. p. 473.

B. ECCARDVS, (x) dum Conradum nostrum à Gisela Ludovici Pii filia deduxit, sed ei ex dictis plus quam satis fieri poterit. Quin & Eccardi prolatis & nostris unà constare poterit sua veritas, modo simul Arnolphus socer Conrado Seniori detur. Imò (3) nec ipsum B. Gundlingium Eccardumve nobis refragatos credimus, si ANNALISTAM LAMBECIANVM (y) Conradum II. Imperatorem disertis verbis ex progenie Conradi I. descendisse, in eoque omnes scriptores ei consentire, & tamen hunc ipsum Conradum II. in Diplomate 1028. dato, (z) *Arnolfum - - divum progenitorem suum* appellare secum reputassent. Profecto enim hujus prognationis nulla iniri poterit ratio, nisi Conradum I. Arnolphi ex filia nepotem præsupposuerimus. Quis vero plura in tanta caligine à nobis exiget? Nec scriptorum Arnolphini, Ludoviciani & Conradini ævi silentium turbat, cum sciamus, vel solum Eruditissimum KOELERVM nostra memoria satis spe-

(x) loco proxime cit. & p. sq.
(y) Bibl. Vindobon. Lib. II. c. 5. p. 394.
(z) ap. *Schaten.* Annal. Paderborn. Lib. V. a. 1028. p. 474.

Ad Caput VIII. §. 5. pag. 141.

Schema Genealogicum familiæ Augustæ Francicæ II.

* * *

Conradus Hassiæ Angariæque Præses
Tab. I.

(1) Werinherus Com. Franc. Vx. N. N.

- (6) Werinharius Abb. Fuldensis a. 968. † a. 982.
- (6) Adelbertus Fuldens. Advocat. a. 973.
- (7) Chunradus I. Com. Wormacensis Dux Lotharingiæ † 955.
 - Otto Comes Wormacensis, Dux Carrentani, Marchio Veronensis. † 982. Vx Juditha.
 - Henricus s. Hetzel Dux Francor. † 989.
 - Chuno major s. Conradus Salicus, † 4. Jun. 1039. *
 - Gebehardus III. Episcop. Ratisbon. † 1060.
 - Juditha vix. 1034. conjux N. Dynasta ab Hohenstaufen.
 - Hugo.
 - Wigmannus. *
 - Ludovicus cum Barba Hassiæ Comes & aliquorum Thuringiæ locorum Dominus. *
 - Bruno Pontifex nomen Gregorii V. sortitus. † 18. Feb. 999.
 - Cuonradus s. Chuno Dux Carentani † 12. Dec. a. 1012.
 - Chuno Junior Dux Wormacensis & Carentanorum † 20. Aug. 1039.
 - Bruno Episcopus Wirziburgensis † 1045.
 - Wilhelmus Episc. Argent. † 7. Nov. 1012.

(2) Conradus I. Rex Germaniæ 911. † a. 918. Vx. Chunegunda Sueva.

- filii Nulli. filia N. Vxor Burchardi Comitis Thuringi.

(3) Eberhardus Dux Franc. † a. 939. Vx. N. Comitissa de S.

- Vdo Comes Episc. Argent. † 965.
- Conradus Comes † 982.
 - N.
 - N.

(4) Otto Comes † ante an. 918.

- Hermannus occ. an. 913. * *
- (7) Liudewicus Dynasta ab Hohenstaufen. Vx. N. N. * * *
 - N. maritus Judithæ, sororis Conradi Salici.
 - Hugo. *
 - Ludovicus. *

(5) N. forte Glismuot filia nupta Bopponi Thuringo.

- Burghardus. *
- Bardo. *

ſpeciminum dediſſe, multa, hoc non obſtante, ex Diplomatis erui poſſe. Nunc de Conradi Senioris fratribus diſſerere juſtus rerum ordo moneret, ſed dicam tantum, eos in Domini SCHANNATI Traditionibus (zz) vel centies occurrere, de cætero ad ſæpius laudati Domini KOELERI eruditam Diſſertationem de familia Auguſta Franconica, me referens.

§. 5.

Tab. II. Tabulam II. nunc aggredior, ubi Conradi filius (1) Werinherus Comes. Is ipſus vero Werinherus eſt, quem CONTINVATOR REGINONIS, (a) Conradi Sapientis Parentem voluit, TOLNERVS vero Ducem de Rotenburg nobis perſuadere nititur. (b) Hunc cum Gundlingius vix ac ne vix quidem in rebus humanis extitiſſe crederet, defenſionem

 ejus

(zz) Gebehartum, Cunradum & Eberhardum evolue p. 214. Gebehartum p. 221. 235. p. 222. 223. 225. & alibi.

(a) an. 943. ap. *Piſtor.* Tom. I. Add. huc B. *Hahn* de origine Conradi Sal. pag. 63.

(b) Hiſt. Palat. c. VIII. p. 204.

ejus jam alibi ſuſcepimus, (c) nunc pluribus ediſſerturi. Invenio eum in Dipl. 891. alio Ludov. IV. Regis pro Neuhauſenſi Eccleſia a. 906. & altero Fuldenſi, a. 910. apud P. R. SCHANNATVM, (d) quinetiam alios. Procuraverat vero, EKKEHARDO Juniore narrante, (e) (hauddubie ſub Ludovici Infantis regno, cum Alberti Babenbergenſis ſupplicium, ejus mentionem absque medio ſequatur) Franciam ad Alpes, ditiſſimam, ac tanto principe dignam Provinciam. Sed en tibi EKKEHARDI verba: *Nondum*, inquit, *adhuc illo tempore Suevia in Ducatum erat redacta, ſed fiſco regio peculiariter parebat, ſicut hodie & Francia. Procurabant ambas Camerae, quas ſic vocabant, nuncii. Franciam ad Alpes tum Werenhere* &c. Optarem reliqua Monachi extare, tum enim de Wernhero noſtro fors plura proferre liceret, ſed ea quae paulo poſt ſequuntur, usque ad verba: *Huic ſicut diximus* &c. vetuſtas

(c) praefat. ad *Goldaſti* Scriptores Rerum Alamannicarum.

(d) Hiſtor. Wormac. Prob. X. Tom. II. p. 10. & XVI. Tom. II. p. 15. Trad. Fuld. p. 225.

(e) de caſibus Monaſter. S. Galli ap. *Goldaſt.* Alemann. Tom. I. p. 40.

ſtas ferreis ſuis dentibus comminuit. Sufficiat ergo noſſe Werenherum Franciæ ad Alpes Procuratorem, (*) Ludovici infantis ævo inter mortales agentem. Sed quæ illa Francia ad Alpes? ignotum profecto Provinciæ nomen. Repeto hic, (jam enim in *cit. præfamine* id expoſui) Ekkehardum ingens illud terrarum ſpatium, quod magno Comiti Wormacenſi parebat, atque verſus Alpes, (quo nomine montes editiores cuncti veniebant, (f)) ſtratam Montanam, Cynotatosque montes, protendebatur, ſignare, adeoque non neceſſe eſſe, ut cum B. ECCARDO (ff) loco verborum *ad Alpes* bis Adalpertus (quod certe prima vice admittimus) legamus. Hunc tractum ditio-

(*) Hi Procuratores regii vocis tantum ſono à Ducibus differentes, nonnunquam, quando videlicet integris exercitibus præfuerant, Duces appellantur. Majore vero atque Duces, cum Comites Palatinos non haberent poteſtate præditi, ideo alio titulo mactantur, quia Rex ipſe copiarum ex terris fiſcalinis ſupremus Dux, natus, & nunc huic, nunc illi, earum Imperium deferebat. Dicemus hac de re alias prolixius.

(f) add. dict. ad *Goldaſt.* præfat.

(ff) Hiſt. Franc. Orient. Lib. XXXI. p. 717.

nemque Wernherus ſtatim à patris obitu, aut paulo ante illum regere cepit, atque cum Comitatu in pago Spirenſi ſito, cujus apud Schannatum l. c. mentio fit, Conrado Sapienti filio per manus tradidit, circa annum 930. defunctus. Anno certe DCCCCXXXII. ejus locum VVormatiæ & in VVormazgowe tenet Conradus Comes, Diplomatum fide teſtante, (g) unde patrem tum obiiſſe, conſtat. (2) Conradus I. Rex ſecundus Conradi Senioris filius mihi creditur, quia VVerenherum jam quieti ſe dediſſe video, dum ipſe adhuc exercitus ductitabat. (3) Eberhardus bona in Francia ad Alpes, ſed Franciæ Herbipolenſis Ducatum ſ. Comitatum tenuit, turbis Ottoni I. datis, & funeſto vitæ exitu, clariſſimus. Huic nos præter Vdonem, alium adhuc filium, Conradum nempe Comitem reſtituimus, cujus continuator REGINONIS mentionem habet, quique vitæ exitum decorum in pugna contra Saracenos DCCCCLXXXII. (h) aut vero ſi TOLNERO (i) credimus, DCCCCLI. in Lo-

(g) Schannat. Tradit. p. 234. ſqq.

(h) *Ditmar.* ap. *Leibnit.* Script. Rer. Germ. Tom. I. p. 346.

(i) Hiſtor. Palat. p. 196. 210.

Lotharingia consecutus est. Cum Ditmaro facit NECROLOGIVM FVLDENSE d. anno, præcipue benefactorum Fuldensium memoriam refricans. Non vero mihi succensebis, si Eberhardum Comitem Palatii dicere supersedi, ex *cap. VII. enim* §. 3. *not.* jam constat, me plane diversam à Tolneriana Comitum Palatinorum seriem instructurum esse. (4) De quarto filio Conradi Comitis Ottone Comite, cui pagus Loganacgowe paruit, (k) pauca nobis constant, ni vero multum fallor ante annum DCCCCXVIII. mortuus, Comitatum in filium Hermannum transtulit. (l) (5) Filiam, forte Glismuot collocavimus, Burghardi & Bardonis Comitum Thuringiæ parentem, (m) probabili conjectura suffultam. (6) Werenharium Abbatem Fuldensem, Adalhardum Advocatum, & Conradum Sapientem Wormacensem filios Werenhero Franciæ ad Alpes Procuratori dedi. Illos

 non

(k) ap. *Schannat.* Tradit. Fuld. pag. 227. occ. an. 912.

(l) Confer *Schannat.* l. c. p. 229. & *Kuchenbeck.* Anal. Hass. Tom. IV. pag. 259. ex *Stangefol.*

(m) *Witichind.* Lib. I. pag. 636. ap. *Meibom.* Tom. I.

non nisi conjiciens; (mm) hunc extra dubitationis aleam existentem. Conrado hoc sapiente cui etiam Comitatus quidam pagi Lobetungowe parebat, (mmm) patre gaudebat Otto Dux, Comes Wormacensis & sylvestrium partium pagi Nahgowe, (n) unde fortassis Comites Sylvestres familiæ Augustæ Francicæ inseri poterunt. Otto Henricum, hic Conradum II. s. Salicum Imperatorem procreavit. Non diu admodum hæc veritas, nova veste induta theatro se stitit, recens enim inventum non est, cum jam CRVSIVS (n) ex Manu exarato Codice, non Luitolphi, quod falso creditum, sed Conradi Sapientis filium extitisse Ottonem Ducem, docuerit. De Ruothardo vero Argentinensi Episcopo quid fiet? Hic sane ex prima Sueviæ Nobilitate oriundus, (o) consanguinitatis nexu ductus, Eberhardo, Conradi Regis fratri, adversus Ottonem I. auxilio

(mm) Vid. inprimis Diploma Ottonis II. ap. *Schann.* l. c. pag. 241. & Histor. Fuldens. p. 77.

(mmm) Diplom. Ottonis I. de an. 951. ap. *Schannat.* Hist. Worm. Prob. 21.

(n) Id. Prob. 23.

(nn) Annal. Suev. Lib. V. Part. II. p. 141.

(o) *Crus.* Annal. Suev. P. II. p. 107.

Ad Caput VIII. pag. 147.

Schema Genealogicum familiæ Auguſtæ Francicæ III.

* * *

Vid. Tab. I.
Eberhardus Comes Franciæ † 902.

- Chuono ſ. Conradus Crucipoldus it. Sapiens. Comes † 30. Jun. 948.
 - N.
 - N.
- N.
- N. *

* * *

vid. Tab. I.
Gebehardus Comes Franciæ in VVettereiba. † 910.

- Vdo Comes in Francia puer 910. † 949. Vx. N. Comitiſſa Veromanduor.
 - Gevehardus Comes † 936. *
 - Vdo Epiſcopus Argentinenſis † 965.
 - N.
 - N. *
- Herimannus I. Dux Alemanniæ & Alſatiæ † 949. 10. Decembr. ut alii a. 948.
 - N. filia, maturè mortua.
 - N. filia, mature mortua.
 - Ida conjux Luidolfi Ottonis I. filii.
 - Otto Dux Suevorum. *

lio adfuit. Fors is Ottoni Comiti num. 4. adducto, nepotis loco, & gentis Hohenstaufiæ portio esse posset. De (7) Liudewico postmodum differemus. Jam ad

Tab. III. Tab. III. gressus porrigitur. Eberhardo Comiti, Conradi Senioris fratri filii erant plures, (p) quorum tamen nullus, præter Conradum Churzibolt famam transmisit ad posteritatem. Hic Eberhardi filius poterat genuisse, minimum cum animam exhalaret sexagenarius, sed caret ejus soboles vate sacro. Gebehardus, fratrum Franciæ Orientalis Comitum quartus, cum DCCCCX. in conflictu caderet, Vdonem & Herimannum filios relinquebat; Horum prior ubi sedem fixerit non adeo expeditum est, divisa tamen indulgentia regia inter filios mortis tempore reliquos beneficia, novi. (q) Hos vero fratres Vdonem & Hermannum, (de iis enim accipiendum Wetzflariense Epitaphium, dudum, post longam à Maximiliano I. (Lersn. Chron. Franc. T. II. P. II. p. 44. a. 1505.) indeusque habitam disquisitionem, feliciter ostendit

(p) *Contin. Regin.* an. 903.
(q) *Contin. Reginon.* ann. 949. ap. *Pistor.* Tom. I.

PerIlluſtris DOMINVS DE LVDOLF (r)) quo pacto Carmen Epitaphii locum tenuiſſe olim creditum, (s) Duces de Elſaſſen dicat, vix hariolor. Novi Alſatiam Sueviæ computatam, cujus Ducem Hermannum noſtrum trium filiarum, poſtmodum unicæ (t) parentem, Lupoldique ſocerum, nemo negat. Ampliſſima vero & Vdoni in Alſatia obtigiſſe bona, aliunde certum habeo. Conſtitit ergo ſcriptori Epitaphii vetuſto ſua ratio, quare Duces de Elſaſſen noſtros compellaret. His vero VVetzflariam ideo paruiſſe, quia Templum illic excitarunt, indeque hodierna in VVetflariam Jura

(r) Sicilíment. ad Hiſtor. civitat. Imp. Wetzflar. p. 224. ſqq. Certe rectius hic verſatus atque B. ECCARDVS, absque ulla neceſſitate Hiſt. Franc. Orient. Lib. 32. p. 774. Vdonem & Hermannum diverſos ab his, & Rudolphi Epiſcopi Herbipolenſis fratrumve patruos, ſibi conditores fingens, quo videlicet nugatoris monachi Chronologia in Epitaphio obſervata, ſarta tecta eſſet.

(s) *Pfeffinger* Vitriar. Illuſtr. Lib. I. tit. 16. §. 22. p. m. 304. 310.

(t) *Contin. Reginon.* an. 950.

ra Haſſiaca deducenda, quis cum Viro quodam erudito diceret? Profecto ſi Templorum ædificatione dominia locorum quæri potuiſſent, næ Veteres templorum inſtauratores beati forent! Et quis unquam vel fando accepit, ut divinum cultum aliquo in loco quis promovere permitteretur, Dominio ejus opus fuiſſe? Quinimo Haſſiaca in VVetzflariam jura id genus defenſionibus longiſſime repetitis non egent, præprimis cum ab a. 1536. plerorumque Epocha deducatur, antea vero utplurimum Naſſoica fuerint. Poſteros certe Vdonis circa VVetzflariam conſediſſe, iis in locis potentes fuiſſe, Sereniſſimas ac Illuſtriſſimas familias adhuc florentes ab iis ſanguinem trahere, nullus nego, & ni alia obſtent, Naſſoviis ac Ziegenhainenſibus id honoris deberi, exiſtumarem. Maternusne an vero paternus prioribus iſte ſanguis fuerit, perinde eſt. Hic ſane magis arridet, multis rationibus ſubnixo. Vxoris loco Vdoni fuiſſe N. Comitiſſam Veromanduorum, ex DV CHESNE, (u) fratres SAMMARTHANI (x)

 refe-

(u) de la maiſon de Montmorency.

(x) Hiſtoire Geneal. de la maiſon de France

referunt, non extra dubii aleam posito-
rum monimentorum fide. Sed unde tandem, tota fere Francica gente peragrata Ludovicus noster? Idipsum est, quo nunc tendimus.

ce Tom. I. in Geneal. Veromandua Lib. IV. pag. 224. & 236.

(o)

CA-

CAPUT IX.

De Ludovici Barbati parentibus, ejusque in Thuringiam adventu.

Schema dicendorum.

§. 1. *Scriptorum de origine Ludovici Barbati testimonia exscripta continet.*

§. 2. *Argumenta pro Ludovici origine Stauffensi.*

§. 3. *In hac asserenda mirum Diplomatum & omnium Scriptorum paulo antiquiorum concentum profert.*

§. 4. *Ad ejus fata digreditur, & Conradum II. Ludovicum nostrum Hassia donasse docet. Ubi obiter nonnulla de libertate & ministerialibus.*

§. 5. *Plura argumenta pro Hassia in Ludovici Barbati bonis existente conducit.*

§. 6. *De beneficiis Moguntinis & fratris Ludovici Hugonis fatis disquirit.*

§. 7. *Ludovici fata reliqua & obitus.*
§. 8. *Epilogus, ubi Ludovici patrem omnino certum dari non posse, concluditur.*

§. I.

IN eo quem hactenus emendavi, illustri Comitum Franciæ Orientalis consessu, Ludovicum nostrum Barbatum Jure suo subsellium mereri, ut mecum credas, audi Historiam ejus, audi & rationes nostras! Antiquior, REINHARDSBORNENSIS scilicet scriptor Historiæ Landgraviorum (a) de eo hunc in modum: *Erant*, inquit, *duo fratres Germani ex Francis oriundi cis Rhenum, de elegantissima stirpe Regum Francorum Caroli & Ludovici, consanguinei Gysilæ Imperatricis;* HVGO *Comes, & Ludovicus cum barba, qui propter faciem barbatam & comæ nutrimentum, seu ob aliud augurium Ludovicus cum Barba vocatus est. Hugo Comes ob divitias nulli servire voluit, nisi Fuldensi & Moguntinensi Principibus. Quo mortuo filius ejus Wigmannus, hæreditatem sortitus est.* Is

(a) ap. *Pistor.* Tom. I. & *Eccard.* l. c.

Is in Moguntia occubuit, omnia ejus bona ad Ludovicum devoluta ſunt. Ludovicus Barbatus cum XII. militaribus Viris veniens Thuringiam, in confinio ſylvæ Loybe, inter montem Katheberg & Aldenberg & Kornberg, indutus μέλας, *quaſi peregrinus habitare cepit. Qui contentus habitatione loci, ab incolis terræ illius, Byſone ſcil. de Glychen, & Gunthero de Keverṅburg Comitibus, aliisque Nobilibus Viris prædia aliqua pretio comparavit, villam Aldenberg, aliaque prope adjacentia. Inde ex permiſſione Regis Conradi juxta Loybe in monte Sovvenburg munimentum erexit, & inexpugnabile caſtrum conſtituit, & plurimam partem Loybe per largitionem regiam accepit, in qua noſtre Reinhardsbornenſis poſſeſſionis termini.* Alterius vero de Landgraviis ANONYMI, (b) hæc ſunt verba: *Anno Domini MXXV. Conradus Francigena duxit uxorem nomine Giſelam, quæ erat filia ſororis Henrici I. Imperatoris, ex genere Francorum & Carolum, unde verſus:*

M *Quan-*

(b) *Eccard.* Hiſtor. Geneal. Princ. Sax. Super. p. 351.

Quando post decimam numeratur
linea quarta,
De Carolo Magno processit Gisela
prudens.

Quæ habebat duos consanguineos scilicet Hugonem & Ludovicum fratrem suum, ex stirpe Regum Franciæ progeniti, & multum pecuniosi. Impleat numerum ternarium SIFRIDVS MISNENSIS: (c) *Nota*, inquit, *quod primus Ludovicus, de quo Landgravii Thuringiæ nati sunt, vocabatur Ludovicus Dedus Barbatus: & ipse descenderat de Genealogia, Caroli Magni Imperatoris: Et cum esset unus de Ducibus Sueviæ, præliis annihilatus inde cessit. Cum autem dudum Duces Thuringorum defecissent, idem Ludovicus Barbatus suscepit Principatum dicte terre, que tunc per plures districta & dissipata, cessavit dici Ducatus. Sed usque hodie Princeps prefate terre non Dux sed Landgravius,* quod Latine *sonat Comes Provincialis, appellatur.* Sed prodeat reliquorum qui Ludo-

(c) Tom.I. *Pistor.* p.692. a.1140.

Ludovici noſtri mentionem habuerunt Coryphæus, ipſe Imperator Conradus II. in hæc verba profatus: (d) *In nomine ſumme & individue Trinitatis. Conradus divina annuente clementia Romanorum Imperator Auguſtus: Notum eſſe volumus omnibus tam preſentis quam futuri evi fidelibus. Qualiter nos ob interventum dilectiſſime contectalis noſtre Gisle cuidam Hludovico Comiti & conſanguineo noſtro predium quod ab incolis Thuringie comparavit, villam ſcilicet Aldinberc, & novalia prope hinc inde adjacentia, ſed & partem vaſte ſolitudinis* Loibe, *noſtre dominationi ſubjacentem, quam ei noſtra donatione contulimus, libere & quiete perfruenda, regia autoritate ſtabilita fecimus &c. Data V. Kal. Maii anno incarnationis Domini MXXXIX. Indictione VII. anno Domini Cunradi Imperatoris Auguſti Imperii XIII. regni vero XV. Actum Gozlari villa regia feliciter.* Idem prædium *dilecto propinquo ſuo* Ludevvico *Comiti*

M 2 Hen-

(d) ap. *Tenzel.* Suppl. II. Hiſtor. Gothan. p. 383. *Monach. Erpesford.* de Lantgr. c. 11. *Lunig.* Reichs-Arch. Part. Spec. Contin. II. p. 176.

Henricus III. confirmans, *eidem ut castrum Scovvenburg ædificet, concedit. Babemberg V. Kal. Septemb.* 1044. (e) Post Diplomata & hic in censum veniat *Paulus* LANGIVS secundum quem 1024. *fuit quidam Baro dictus* Ludovicus *cum Barba qui supradictæ Gisilæ Imperatricis consanguineus existens, bellorum assiduitate & rabie depauperatus fuerat. Hic instantia dictæ Gisilæ per Bardonem Archi-Episcopum Moguntinnm nostri ordinis assumtus, Vicedominus Thuringiæ constituitur. Qui optime & pacifice aliquot per annos commissam regens Provinciam, paulatimque potentia, divitiis pariter crescens, castella & prædia ad se emit varia, plurimamque ita successive Thuringiæ partem acquisivit, eamque castris munitissimis, constructis in montibus, roboravit, præsertim Nuendorff, Schovvinburg. Propterea Conradus Rex ipsum Ludvvicum Comitem fecit Thuringiæ & Hassiæ Dominum, arma ei conferens antiqua* &c. (f) In hanc sententiam

(e) *Tenzel.* l. c. p. 392. *Hahn.* Collect. Monument. Tom. I. p. 69. sqq.

(f) ap. *Pistor.* Tom. I.

tiam auctores fantur; tempus nunc monet, ut cogitata nostra subjungamus, si prius LEGENDÆ BONIFACIANÆ, Caroli Martelli ævum quidem falso supponentis, ad Conradi II. autem & Ludovici nostri, partim etiam Ludovici III. tempora optime quadrantis (*) verba, (g) & hic in censum venire, coronidis loco addiderimus.

§. 2.

Ludovicum Barbatum Conradi Salici Imperatoris consanguineum fuisse, testis omni exceptione major est ipse Conradus, verum sequioris ævi Thuringici Scriptores, utut nec hi omnes, cum Conradum Imperatorem & Gisilam ejus conjugem consanguineos, hancque apud Imperatorem pro eo intercessisse intelligerent, non abs re fore existimarunt, si Gisilam potius quam

(*) Secutus est hic scriptor morem suo ævo receptum, qui omnia antiquissima volebat, adeoque Ludovici Barbati in Thuringiam adventum ultra aliquot Secula protulit, quem Chronicon Francobergens. Analect. Hass. Tom. IV. sequitur.

(g) ea jam supra c. VI. excitavimus. Add. Dn. *Ayrmann.* Hist. Hass. p. 190. sqq.

Conradum ſanguine contigiſſe, litteris mandarent. Nobis vero à Diplomatis verbis ne tantillum quidem deflectere, atque Conradum ipſius Ludovici conſanguineum credere, omnino tutius videtur. Addo, me Ludovicum ſurculum familiæ Auguſtæ Staufenſis putare. Debetur hæc ſententia & conjecturis & Scriptorum Thuring. monumẽtis, quorum verbis licet non ita preſſe hærendum eſſe noverim, plane tamen nihil veri eos hactenus habere, dicere non auderem. Potius ſub variis involucris latet veritas. (1) Locum nativitatis Conradi II. non pauci Scriptores in Suevia ſitum volunt, (a) à quibus nec illi diſcedunt, qui Conradum de Waiblingen, (b) aut familiam Auguſtam Franconicam, Domum Regalem de Gibolenga vel Guibelinga, (c) omnes Sueviæ pagum Waiblingen ſignantes, dicunt. Waiblinga vero cum arce adjacente, ditionis Ho-

(a) citati ap. *Cruſ.* Annal. Suev. Part. II. Lib. VI. c. 6. p. 187. aliosve.

(b) *fragment. Alberto Argent. præfix.* pag. 83.

(c) *Otto Friſing.* de geſtis Frider. I. Lib. II. c. 2. *Gotfrid.* Viterb. p. 486. conf. *Hahn* de orig. Conradi Sal. p. m. 86. & ejusd. Reichs-Hiſt. ſub Cunrado II.

Hohenstaufiorum portio erat; Si ergo (2) Conradus II. ipse cum patre Hohenstaufiis conjunctus, Ludovicus vero ejus consanguineus, quis neget hunc Jure derivari *ex progenie illorum de Stouphe*? Certe (3) iisdem in terris Ludovicum nostrum lucem adspexisse, & aliunde probabile efficitur. Tradunt sanè id SCRIPTORVM PLVRIMI, (d) illum aut de Ducibus Sueviæ, aut ex progenie illorum de Stoúphe, quod coincidit, (e) derivantes. Imo (4) Franci in Alsatia & Suevia opimas possessiones, quin & Ducatum utriusque regionis diu tenuerunt, unde haud improbabile fit, nonneminem ex hac gente illic consedisse, qui Hohenstaufiis originem dederit. (5) Constat rarissime filias regias in media Germania aliis contigisse, atque iis qui ejusdem regii sanguinis erant, & tamen Friderico Hohenstaufio, Henrici IV. genero, is honos habitus; quod ipsum hunc Regis consanguineum indicat, ni Exceptio à Regula doceatur. (6) Ludovici nomen in Hohenstaufia gente, fortassis ex Francica (f) receptum, & ferme circa

(d) supra c. 6. & §. 1. hoc cap. citati.
(e) Conf. *Tenzel.* Suppl. II. Hist. Goth. pag. 344. add. p. 354.
(f) Adde sis Tab. I. Geneal.

ipſam Ludovici noſtri ætatem reperiendum, (g) hunc ei potius, quam alteri cuiquam deberi, reliquis argumentis ſuperaddit. Imo ſi () conjecturis uti licet, Henrici Hohenſtaufii propinquum Ludovicum Barbatum cenſerem, qui prioris gnato, Domino Kœlero & aliis relato, Ludovici nomen impoſuerit. Quamvis vero hoc pacto Ludovicus in gente Hohenſtaufia conſiſtat, alia tamen adhuc arctior propinquitatis cum Conrado & Henrico Imperatoribus, necnon loci in familia Hohenſtaufia ei competentis, iniri poterit ratio. Fuit nimirum Conrado Salico ſoror Juditha, quam ex Diplomate apud *Guillimannum*, (h) adhuc MXXXIV. auras vitaleis carpſiſſe conſtat. Hanc Suevo cuidam in matrimonium collocatam eruditi credunt, alter Comitem Egenesheimium, alter alium nominantes. Quid vero ſi ejus maritum Hohenſtaufium quendam, Imperatori ſanguine junctum, ex his vero nuptiis ortum Ludovicum, diceremus? Hariolari quid prohibet? modo caveas, ne cogitationes

(g) Vid. Dn. *Kœler* Geneal. famil. Aug. Staufenſ. rec. 1727. Tab. I.

(e) de Vera origine & ſtemm. Conradi Sal. p. 16. quod nunc denuo protulit *Schannat.* Hiſt. Wormac, P.II. Prob. 56.

tiones tuas *dilucidas* appellites *probationes*!

§. 3.

Quid vero, inquis, Suevo cum Haſſia & Thuringia commune, & annon potius Ludovicus Barbatus Thuringiæ vel Haſſiæ indigena credendus? Ita eſt, non nego, multum ex veriſimilitudine trahere hanc opinationem, ſed majora in contrarium agunt. SIFFRIDVS enim Hiſtoricorum omnium qui Ludovici meminerunt, antiquiſſimus, & LEGENDA BONIFACIANA, cujus auctor, ni fallor, ei ſuppar fuit, diſertis verbis Ludovicum Suevum fuiſſe pronunciant, ut nunc *Paulum* LANGIVM, huc ferme collineantem, taceam! Adhæc *Monachus* REINHARDSBORNENSIS *Ludovicum cum XII. militaribus viris veniſſe Thuringiam* - - eamque - - *indutum* μέλας *quaſi peregrinum habitare cepiſſe*, auctor eſt. Si ergo Ludovicus peregrinus, certe Thuringus non fuit, nec etiam Haſſus, amplo totius pagi patrimonio Allodiali imperans; Haſſi enim Thuringis proximi, non peregrini, nec etiam ampliſſimæ Haſſiacæ poſſeſſiones, non ita magnæ in Thuringia factæ acquiſitionis cauſa re-

 linqui,

linqui, & domicilium mutari merebatur. Potius Ludovicus noſter, in *conſanguineorum Imperatoris* Conradi II. *quos Erneſtus* ejus privignus *Sueviæ Dux vaſtabat* (a) numero extitit, atque (SIFFRIDO teſte) *præliis exinanitus inde ceſſit*, indutus lugubri veſte, (id enim ſibi vult, REINHERSBORNENSIS MONACHI τὸ μέλας) in Thuringiam fuga evaſit, Imperatoris Conradi *beneficio in ſylva* Loybe (verba Diplomat.) vitam ſuſtentavit, poſt ſedatas vero turbas, cum jam ſuis bonis in Suevia frui poſſet, *contentus* (juxta Reinhardsbornenſem) *habitatione loci*, illic ſubſtitit. Poſtquam vero ex bonis ſuis in Suevia venditis haud dubie pecuniam redegerat, *ab incolis terræ illius*, (ſunt verba REINHARDSBORNENSIS) *Byſone ſcilicet de Glychen & Gunthero de Kevernburg Comitibus aliisque nobilibus Viris, prædia aliqua precio comparavit.* Vlterius Conradus II. *fecit eum Dominum Haſſiæ* (b) i. e. bona quædam aut regni, (c) aut ſui, Con-

(a) Vit. Conr. Sal. *Wipponis* ap. *Piſtor.* Tom. III. p. 434. Add. *Monachus Weingart.* de Guelfis p. 783.

(b) *Langius* ap. *Piſtor.* a. 1024. Tom. I.

(c) Vid. *Schannat.* Tradit. p. 249.

Conradi ipſius propria, in Haſſia dono dedit. Fors eum plane Haſſiæ quoque præfecit. En Tibi mirum omnium Scriptorum Hiſtoriæ Ludovici Barbati, inter ſe, & cum Diplomatis conſenſum! Neque tamen vel ſic mea *dilucide probata* dicere auſim!

§. 4.

Id profecto diſquiſitione dignum videtur, an Ludovicus Haſſiam revera tenuerit? Prætereo nunc argumenta, quæ VIR ERVDITVS (a) pro affirmativa congeſſit, novis enim opus eſt. Tenuerat Haſſiam antequam Imperium adipiſceretur ipſe Conradus II. conſanguineus Ludovici noſtri. Erat vero regibus noſtris in more poſitum, ut ad regnum elevati, quas antea poſſederant terras, (uti id in Bajoaria, ut alia taceam, tria Exempla illuſtrare poterunt) propinquis ſuis concederent, quam conſuetudinem & Conradum noſtrum ſecutum exiſtimo. Sed obloquitur hic Vir olim nobis amiciſſimus, νῦν ἐν ἁγίοις, *Simon Fridericus* HAHNIVS, (b) *Conradum ipſum virum egregiæ libertatis,*

(a) Analect. Haſſ. Collect. II. p. m. 356. ſqq.
(b) de genuino ac Salico Conradi II. Imperatoris Auguſti ortu p. 91. ſqq.

bertatis, se nunquam alterius submisisse servituti, (c) & regno infensum fuisse, adeoque nec voluisse, nec etiam per Regem adversum potuisse, vel Ducatum, vel Cameræ nunciaturam, vel etiam Landgraviatum capessere, multominus vero, quæ antea non tenuerit, in Ludovicum transferre. Fateor, durum hoc telum, quod ut evitem, patieris Lector, ut paulisper in diverticulum te deducam, exantlato hoc negotio reducturus. Etenim mihi fixum firmumque est, Conradum, ævo quo vivebat, nihilominus *Viri egregiæ libertatis* Elogium sustinere potuisse, licet ab Imperatore dignitate aliqua mactatus fuerit. Profecto id quod Conradus se nullius servituti submiserit, potius alios quosvis Principes, Ecclesiasticos ac seculares signat, quam Imperatorem, à quo Ducatu vel Cameræ nuncii munere donari honorificum, vel ideo, quod ejusmodi Imperatoris officiatis is honor contingebat, ut in conspectu summi Principis separati à liberis Dominis reliquis convivarentur, (d) ut tem-

(c) Vid. illic verba cit. *Sigeberti*, *Alberici*, *Northofii*, &c. in Not.

(d) *Ekkehard* Jun. ap. *Goldast.* Aleman. T. I. p. 17. nov. edit.

tempore belli liberis Dominis provinciæ ſuæ præeſſent, ut aliis inſignibus privilegiis gauderent. Imo & minora Imperii officia honore ſplendentia. Hinc vero Bolandios, Munzenbergios, alios, ſuis Imperii miniſteriis gloriari, atque ea in omnibus locis oſtentare videas. Sed non teneo te pluribus, cum otium mihi hic fecerit Vir Eruditionis non vulgaris, amicus noſter, *Johannes Georgius* ESTOR, (e) ad quem remiſiſſe ſuffecerit. De Miniſterialibus, *officia Imperii adminiſtrantibus* loquor, de minimis enim, & *naſcendi ſorte* Imperii miniſterialibus plane alia, nec hic à Viri docti jam laudati placitis abiens, mens mihi ſedet. Imo nec beneficia Imperatoria ſine officiis honorem minuebant. Obiicit B. Hahnius SVNDHEMIVM de Guelphis (f) & WEINGARTENSEM MONACHVM, (g) qui Ethiconem filio Henrico, ab Imperatore beneficium accipienti indignatum, diſertis verbis

(e) de Miniſtetial. p. 18. ſqq. de miniſterialibus regni in Append. p. 57. ſqq.

(f) ap. *Leibnit.* Tom. I. p. 781. ſq.

(g) Ib. pag. 801. queis adde *Chron. Vrſperg.* pag. m. 209. & *Annal. Sax.* ad an. 1126. ap. B. Eccardum Corp. Hiſt. Med. ævi Tom. I. p. 660.

bis innuant: Sed ſalva res eſt, modo enim quis Narrationem de Trojana Guelforum origine, reliquorum commentorum fundamen conſideret, ſtatim patebit, ſomnia & leviſſimas quisquilias eſſe, quæ Monachus noſter Weingartenſis, ex quo ceteri hauſerunt, proloquitur. Dicit, ideo Guelphos Imperatori ſervire & homagium præſtare recuſaſſe, quia Trojani fuerint, poſſeſſiones ſuas armis occupatas, contra omnes vicinorum injurias tuentes, & nulli ſubjecti. In chartam hoc conjeciſſe, idem eſt, ac ei lituram induxiſſe. Silet enim hoc Guelphicum regnum omnis Hiſtoria. (h) Et tamen ad Ludovicum Pium usque duraſſe ſcribitur, quinimo Guelphos eousque Imperatori homagium recuſaſſe, adjicitur. Hi certe, qui cum integra Alemannia jam à Clodovæi M. temporibus indeusque hominium haud ſecus ac alii liberi Domini præſtiterant; qui, (Warino, Ruthardus, Conradus, Welpho inprimis) jam ante, quam naſceretur, nulli antiquorum præter Morphea noſtrum qui-

que

(h) Suboluit hoc jam Schiltero Bedenck- vom Landger. in Schvvaben ap. *Struv.* Hiſtor. und Pol. Archiv P. IV. pag. 15.

que eum ſecuti ſub Ludovico Pio memoratus Ethico, beneficiis Imperii gaviſi fuerant; qui Duces, qui Cameræ nuncii, qui præfecti & regni primores cluerant; nunc demum hominium & beneficia Imperatoris recuſaſſe credi debent! Nullus in Imperio liber Dominus absque hominio; quin hæc nobilium & Imperii per officia miniſterialium haud levis præ ſimplicibus ſ. mihi naſcendi ſorte talibus dictis, prærogativa, id quod alibi demonſtrabitur. Jacet ergo, multis neſcio quid veri habere viſa, Weingartenſis fabula. (*) Vt vero ad Conradum

(*) Hæc jam ſcripſeram, cum eccè Monachi vera mens ſubolere mihi incipit. Propoſitum certe nugatori erat, ut Guelphos plane Imperatori æquales, & ab omni ſubjectione exemtos ſiſteret; cum autem hoc neminem, Guelphos, liberorum Dominorum facile primos, & magnæ in Germania exiſtimationis, ab omni ævo Imperio ſubjectos fuiſſe ſcientem gratis crediturum exiſtimaret, fingenda erat Henrici noſtri, ex libero Trojano, in Imperatoris beneficiarium transmutatio. Recte vero pro ratione ſyſtematis ſui Monachus patrem filio Imperatoris beneficiario indignatum, atque hoc ipſo libertati ſuæ maculam inuſtam exiſtimaſſe, narrat, Notisſimum enim eſt, æquali ſe ſub-

dum II. revertar, si is sibi Imperatoris mini-
sterium

subjicientem, eo quo Weingartensis florebat ævo *clypeum suum*, (quod ajunt) *humiliasse*. Testantur hac de re VETUS AUCTOR de beneficiis ex edit. *Thomas.* p. 137. sq. *Havichorsti* vero p. 431. JUS FEUD. SAXON. c. 54. SPEC. SAXON. Landr. art. 3. JUS FEUD. ALEM. c. 96. cujus §. 3. verba: *Do ist der Herren Herschilt geniedert domit ob er sins genoszen Manne vvurt vvenne er vellet von siner Höhe nider und vvurd damit unvvert*, huc spectant. En itaque Tibi systematis sui servantissimum Mohachum! Patebit vero ex eo, non Weingartensem id quod B. Hahnius ei imputabat disseruisse, potius in omnia alia abiisse. Imperator enim cum nulli Statuum Imperii fuerit æqualis, nemo etiam Germanici regni subditus existens, Imperialis beneficii acquisitione honorem suum minuere dici poterat. Nec id sane Weingartensis hac de re interrogatus dicturus erat. Lætor vero, mihi omnium primo hic occasionem affulsisse, quo Imperii beneficia nunquam honori noxia judicata, demonstrare possim. Magnos enim præter B. Hahnium viros, Weingartensis locus fefellit. Permittent certe viri rerum Germanicarum callentissimi mihique amicitia juncti, KOP-

ſterium turpe non duxit, certe Haſſiam tenuiſſe cenſendus erit. Docet id multis manu exaratis Codicibus ſuffultus HART-

N MAN-

KOPPIVS (Tr. de Inſigni differentia inter Comites & Nobiles pag. 33.) & WOHLFART, (Unterſuchung der Frage ob mit denen Grafen vnd Herrn der Adel in Vergleichung zu ſtellen ſeye? p.m. 29. ſq.) ſi & ipſos cum citatis auctoribus nonnihil à janua heic abiiſſe dixero. Nil enim minorem ſpeciem veri, deſtructa nunc Monachi fabula habet, atque iis defenſum thema, liberos Dominos nonnunquam Comitibus prælatos, cui Weingartenſis patrocinari dicebatur. Scio parem Comitum atque Dominorum in medio ævo dignationem; ſcio Dominos Brunovicenſes & Megapolitanos antequam Ducum ordini denuo adſcriberentur & Comitibus & Dominis prælatos; ſed illud nihil ad rem, uti nec hæ priſtini ſplendoris reliquiæ, nullatenus reliquis liberis Dominis aliquid conferunt. Imò à ſeculo XV. indeusque, quod Viri Conſultiſſimi non negabunt, Comitis, liberi Domini dignationi præſtat, cujus rei Exemplum ſatis antiquum & ab anno 1420. repetitum habes *Selectorum meorum Tom. II. pag. 375.* Et hæc hactenus!

MANNVS. (i) Adhæc Conradus ſapiens omnibus Regiis beneficiis nudus, tamen Francis & Haſſis præfuiſſe legitur. (k) Ab hoc vero recta linea deſcenderat noſter, cujus aliud regium beneficium, quam Comitatus Provincialis Haſſiæ non exſtat. (kk) Erat vero hoc beneficium ſatis modicum, unde verè WIPPO (l) *de republica - - - parum* (non ergo plane nihil) *beneficii & poteſtatis habuit.* De regio banno Landgraviatus loquor; fors enim ipſa Haſſia maximam partem, præter Suevica bona, in Conradi noſtri allodio. *Sed Landgraviatui ideo admotus eſſe nequivit, quia Imperatori rebellaverat?* (m) Hæc cauſa eſt, quare modico tantum beneficio donatus, quod forte, quia allodiorum ejus jam à longo ævo acceſſio fuerat, auferri non poterat. Rebellare vero hic nil aliud, quam Imperatoris nutum non in omnibus ſequi. Sanè hæc rebellio non obſtitit, quominus

Dux

(i) Annal. Einſiedel. p. m. 28.

(k) Vita S. Vdalrici ap. *VVelſer. VVitichind.* ap. Meibom, pag. 656. *Ditmarus* Lib. II. apud *Leibnit.* Script. Tom. I. aliique.

(kk) Add. *Tolner.* Hiſtor. Palat. p. 181.

(l) ap. *Piſtor.* p. 460.

(m) *Vit. Meinvverci* ap. *Leibnit.* T. I. p. 557.

Dux & *regni Princeps* cenſeretur. (n) Imò Henricus ſibi ingratos non omnium bonorum exſortes reliquit, potius nonnullis beneficiolis allicere ſtuduit, quod ex Hiſtoria vitæ ejus pateſcit. Præfuit ergo Conradus Haſſiæ, eamque Ludovico propinquo, eo plane modo, quo ipſe tenuerat, transdidit.

§. 5.

Conradum Haſſiam ante regnum tenuiſſe, neſcio an nunc credas. Sive vero demas ſive addas fidem perinde mihi erit, cum Ludovicum tamen ab eo, jam Imperatore Haſſiam nactum, non vulgaribus argumentis efficere queam. Ante omnia ad ſcriptores jam adductos (a) remitto, qui Haſſiam Ludovico paruiſſe teſtantur; ſi neges, expectabo, quem alium Haſſiæ Dominum, usque ad Lotharii II. ævum, demonſtraturus ſis. Et profecto quomodo Ludovicus filiive, etiam ſub Henrico III. (ne forte novis acceſſionibus auctos dicas,)

 par-

(n) ap. *Labbé* in vita B. Adalberonis Bibl. Mſta Tom.I. Sect.V.

(a) cap.IV. & princip. hujus.

parvi, intraque terminos præfecturarum Ducatus Gothani Ichtershausen, Schwartzwald, Georgenthal, Reinhartsbrunn vnd Tenneberg (b) consistentis agelli Domini, paulo post, non è plebe viris, aut ab eo ævo distantibus, sed ipsi WALTRAMO Naumburgensi præsuli, (c) *Serenissimos & gloriosissimos* inter *Principes* referri meruissent, si non alia præterea iis bona, & dignitates fuissent? Quo pacto Cæciliæ Saxonicæ de Sangerhausen Barbato, Vdalrici Saxoniæ Ducis filiæ Salio, aut Luderi Saxoniæ Ducis natæ nuptias ambire Ludovico III. aut uxorum parentibus procorum votis assurgere in mentem venisset, si tam egeni, tamque parum conspicui extitissent. (d) Imo vero aliud longe potentia auctoritasve Ludovici Salii, Barbato nati, & Henrico V. inter reliquos principes sat digno loco acerrime reluctantis prodit, quæ quantula futura erat, si ejus ditio ne tres quidem leucas explesset? Et hæc juncta fortassis satis declarabunt,

(b) *Juncker* Einleit. zur Geogr. der mitlern Zeiten p.454. sqq.

(c) *Dodechin.* ap. *Pistor.* an. 1090. & *Goldasti* Apolog. pro Henrico IV. p. 51. sqq.

(d) *Paulini* Annal. Isenacens. §. 9. pag. 5. & 6.

clarabunt, Ludovicum noſtrum longe ab illa jactitata tenuitate abfuiſſe, potius non temnendi terrarum tractus poſſeſſorem, quem, ſi ab Haſſia diſcedas, fruſtra quæſieris. Percurre integram Germaniam, omnes ejus particulas ſcrutare, nil quod Ludovico noſtro attribuas invenies, niſi fors de Landgraviatu Thuringiæ cum aliis idem ſentias, quod ne probes, multa obſtabunt. Vtut enim mihi non vacet, communem quondam de Ludovici Barbati Landgraviatu Thuringico ſententiam deſtruere, ſatis tamen prolixe, & ad mentem meam hanc rem ediſſeruere Viri Celeberrimi SAGITTARIVS (e) TENZELIVS; (f) SCHLEGELIVS nuper defunctus, (g) & noviſſime *Johannes Georgius* REINHARDVS, (h) alios ut taceam. Tenebant quidem Ludovicus & filii bona in Thuringia, ſed Comites Provinciales hujus terræ, auctoribus ſatis & abunde id adſtruentibus non erant; & ſi negare pergas, qua quæſo poſt Hermanni de Wincenburg deſtitutionem nova

 digni-

(e) de antiq. ſtatu Thuring. pag. 50. ſeqq. latè.

(f) Suppl. II Goth. p. 413. ſqq.

(g) Num. Iſenac. pr.

(h) Antiq. Marchionat. Thuring. §. 16. §. 25.

dignitate auctus Ludovicus, jam Dominus Thuringiæ, jam Provincialis Comes? Et tamen tum Ludovici fortunam in melius mutatam esse, cuncti prædicant. (i) Quin Hermannum de Wincenburg antequam gradu moveretur, Comitem Thuringiæ Provincialem audivisse, invictis argumentis evicit REINHARDVS dicto loco, ut adeo plura verba perdere, plus quam supervacuum sit.

§. 6.

Sed à Moguntino Hassiam accepit Ludovicus, Regi hanc ob causam ad Aribonem ArchiEpiscopum destinatus. Heic AVCTOR ERFVRTENSIS de Lantgraviis (a) Vicedominatum crepat, quem BROWERVS (b) & alii (c) sequuntur. Plane Browerus *Lantgravios hoc nomine sive velint sive nolint, Ecclesiæ Moguntinæ multum debere* clamitat. At salva res

(i) *Engelhus.* ap. Leibnit. Tom. II. p. 1099. *Albert. Stad.* p. 275. ap. *Bœcler. Chron. Gozeccens.* ap. *Mader.*

(a) supradicto loco.

(b) Lib. IV. Antiq. Fuldens. p. 289.

(c) Spangenb. Mansfeld. Chron. fol. 170.

res eſt, ne minimum quidem, quod ad hæc, Moguntino debent Sereniſſimi Principes. Cum enim ab Haſſiæ Thuringiæve administratione, Wilhelmo Ottonis I. notho, incertum quamdiu & quomodo concredita, Dominium Moguntini arceſſitum eat Browerus, næ illum egregie hallucinantem deprehendimus! Sanè cur non ex gemina cauſa, Lotharingiæ Dominium Colonienſi vindicavit? Potuit tamen pro Rege aliquantiſper Haſſiam curaſſe Moguntinus, donec Ludovicus ei admovebatur. Is enim regi gratiſſimus, & electionis ejus maximus promotor. (d) De Thuringia porro quæ profert, gerræ ſunt germanæ. Si quid judico, forte Advocatiæ cujusdam in Thuringia aut Haſſia ſuſcipiendæ cauſa Moguntinum noſter adiit, quod tamen nulli obtrudo. Jam ad Hugonem, ne ejus memoriam penitus amittamus. Fratrem Ludovicus noſter agnoſcebat Hugonem, fortunæ bonis præclarum, ipſe *indutus* μέλας, *peregrinus* ac exul *in Thuringia*; ex quibus homo mediæ perſpicacitatis haud data opera colliget,

(d) *Vit. S. VVeinvverci* ap. *Leibnit.* Rer. German. Tom. I. p. 557. *VVippo* Vit. Conr. Sal. princ.

get, Hugonem benignis, fratrem vero iniquis oculis fortunam adſpexiſſe. Scilicet Ludovicus Suevica bona ex paterna ſucceſſine creverat, Ludovici vero fratri Hugoni Francica obtigerant, magnam partem Moguntinis & Fuldenſibus beneficiis conſtantia. Hinc noſter, bonis vaſtatis pauper, frater opibus affluens. Hugo hic in curia potens mox obiit, nec beneficia Moguntina in filium Wigmannum transmiſit. Quod graviter ferens Wigmannus, cum pro iis recuperandis diu incaſſum laboraſſet, ad arma confugit, novum parentis beneficiorum poſſeſſorem ante oculos Præſulis occidit, hujusque Imperio poſtmodum capite plexus, opimam hæreditatem ad Ludovicum transmiſit. (e)

§. 7.

Hiſce auctus Ludovicus, pluribusve Imperatoris beneficentia & ſuopte ingenio quæſitis jam potens, ſi Thuringis credimus, in regiorum Conſiliariorum numerum adſcitus, ſua in agendo dexteritate ad altiora, dean-

(e) *Auct. Thur.* citati. *Spangenberg.* Manſsf. Chronick. fol. 170.

ſecretionis nimirum Conſiliarii, (a) aulæ Magiſtri & Mareſchalli (b) dignitates promoveri meruit, quæ placita uti nec confirmare argumentis, ita nec refellere animus eſt, quisque pro ingenio iis demat, vel addat fidem. Vltra vota jam beatus, priori felicitati adjecit nuptias ferme invidendas, ditiſſimam ducens feminam Ceciliam Ducem Saxoniæ vulgo, qui ævi mores, dictam à loco habitationis de Sangerhauſen, cujus opibus ipſe adeo crevit, ut & in Thuringia non numerus videretur. Hinc opum Comitem invidiam timens, resque ſuas in Thuringia ab omni aliorum petacitate, priſcis inprimis Dominis ſecuras reddere volens, Conradum II. cum in Saxoniam paucis ante obitum menſibus per Haſſiam locum domicilii Ludovici noſtri, iter haberet, implorans, eò allaboravit, ut Imperiali Diplomate de omnium Regiorum beneficiorum & acquiſitarum poſſeſſionum Jure Goslariæ ſibi caveretur. Falluntur, qui tum primum ea bona quæſita exiſtimant, cum, quod ſupra demonſtravi, eorum acquiſitio ac coalitio non ſimul ac ſemel contigerit, nec ædificia, imo integræ villæ, res parvi ſpatii videantur. Vt adeo ANONYMVS ER-

N 5 PES-

(a) *Spangenb.* l. c. (b) *Calvis.* ad an. 1039.

PESFORDIENSIS (c) Ludovici adventum in annum MXXV. conjiciens rectius ſenſerit, quem ideo & FABRICIVS (d) ſequitur. Sed in antiquis & obſcuris paucorum annorum lapſus non curantur (e). Quid poſtea Ludovicus geſſerit, SPANGENBERGIVS tradit, cujus tamen quisquiliæ non ſatis vero ſunt ſimiles. Id annotaſſe ſufficiat, Ludovicum aut MLV. ut ERPESFORDIENSIS (f) aut finiente anno MLVI. quæ ANNALIVM GERMANICORVM (g) ſententia diem obiiſſe ſupremum, quos fluctus componere noſtrum non eſt.

§. 8.

Mittimus nunc Ludovicum, qui ſi tibi ab Hohenſtaufiis non ſatis tuto deduci credetur, dabis ei parentem alium ex fami-

(c) loc. jam cit.

(d) Rer. Saxon. Lib. II.

(e) Vid. *Tenzel.* l. c. p. 415. & 423.

(f) ap. PISTOR. Tom. I. c. 12.

(g) *Tenzel.* l. c. p. 423.

familia Francica Augusta. Nos sane multos fontes reclusimus, dum in Tabulis Genealogicis eos indicabimus, qui liberis quidem, sed memoria carentibus, beati extiterunt. Certe Conradus Curcipoldus aliquos, Conradus Sapiens Wormacensis plures uno, imo filias quoque poterat reliquisse. Fors Eberhardus & Vdo proletarii, nec tantum δυ- aut τρίτεκνοι existebant. Alios ut taceam. En tibi largum excurrendi campum, quem emensus, & ad te reversus, in eo certe mecum convenies,

Non posse originem Ludovici dilucide demonstrari.

Id vero uti gentibus Serenissimis, à Ludovico descendentibus, satisque proprio splendore coruscis nil officit, ita nemo in ficias ibit, & hac incertitudine non attenta, magnificam originem & Caro-

Carolinum ſanguinem, in Ludovico ſibi ſatis conſtare. Cujus poſteritati largam annorum ſeriem, & fauſtas aves ſine fine, det Deus!

II. III.

MONVMENTORVM.

FLORES.

AD.

HISTORIAM GERMANICAM.

ET.

GALLICAM.

ILLVSTRANTIVM.

BIGA.

1. Chronicon Genealogicum Nivellenſe.
2. Petri de Thymo Hiſtoriarum Excerpta.

II.

CHRONICON.
GENEALOGICVM.
NIVELLENSE.
VULGO DICTVM.

Ex ms. Codice membranaceo Bibliothecæ Regiæ Bruxellensis.

PARS PRIMA.

Incipit Genealogia Illustrissimorum Ducum Lotharingiæ, & Brabantiæ, ex prosapiâ S. Karoli Magni Imperatoris.

PRIAMVS primus Rex Francorum, à Priamo Rege Trojanorum nomen & Genus trahens, genuit Marcomirum.

MARCOMIRVS Rex genuit Pharamundum Regem tertium.

PHARAMVNDVS Rex genuit CLODIONEM Regem quartum: cui successit Meroveus Rex quintus.

ME-

MEROVEVS Rex genuit Hyldricum Regem ſextum.

HYLDRICVS Rex genuit ex BASINA, Regina Thuringiæ, CLODOVEUM Regem VII. Hic duxit filiam Regis Burgundiæ, REGINAM ORTHODOXAM & CHRISTIANISSIMAM, per quam ipſe Rex cum omni gente ſuâ baptizari meruit quem Remigius baptizavit & oleo cœlitus emiſſo conſecravit & eum in baptismate LUDOVICUM appellavit. Hi LUDOVICVS genuit Lotharium Regem VIII.

LOTHARIUS Rex genuit Chilpericum Regem IX.

CHILPERICUS Rex genuit Lotharium magnum Regem.

LOTHARIUS Rex genuit Dagobertum Regem, & Blitildem: ad cujus progeniem, ad Duces ſcilicet Lotharingiæ & Brabantiæ, translata eſt tandem Corona Regni Franciæ. BLITILDEM duxit ANSBERTVS Princeps illuſtris genere Romanus, ex IMPERIALI prosapiâ ortus: qui genuit ex eâ Arnoaldum Principem & Sanctum Ferreolum, Sanctum Modericum, & Sanctam Tarſiciam Virginem.

ARNOALDUS genuit ex Sancta

ODA

ODA Sanctum Arnulphum Principem, tandem Episcopum Metensem.

ARNULFUS genuit ex sancta Doda Sanctum CLODULPHUM Metensem Episcopum; & WALCHISUM Patrem S. Vandregisili; & ANSIGISUM, quem pater suus sanctus ARNULFUS benedixit & progeniem ejus, prophetando de ipsis, quod essent futuri Reges Franciæ hereditarii, & Imperatores Romanorum excellentissimi: & factum est ita. Hæc Benedictio descendit cum unctione in nobilissimam & sanctissimam prosapiam Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ, quæ tunc Austria vocabatur, quorum generatio & gloria non derelinquetur in sæcula. Nam multi & multæ, Sancti & Sanctæ, procreati sunt ex eâ, quorum vitæ ista testantur, & Historiæ, & Chronica.

ANSIGISUS duxit sanctam BEGGAM Ducissam recta linea secundam Lotharingiæ & Brabantiæ; cujus Avus Karlomannus Princeps Illustris genuit sanctum PIPINUM primum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ & sanctam AMALBERGAM Comitissam cujusdam Comitatus in Brabantia, quæ mansit apud HAM in Brabantia apud Sanctas. Hæc [AMALBERGA]

genuit ex Wigero Sanctum (*) ALBLEBERTUM Cameracensem Episcopum, qui in Monasterio Malbodiensi quiescit; & Sanctam REINELDEM Virginem, quæ apud Sanctas in Brabantia martyrizata fuit, & ibidem quiescit in allodio suo, & sanctam PHARAILDEM (**), & Sanctam ERMELENDEM & Sanctam GUDILAM de Bruxella, patronam Ecclesiæ majoris ibidem. Sancta Amalberga Lobis quiescit.

Sanctus PIPINUS duxit Sororem sancti Modoali Trevirensis Archiepiscopi, & Sanctæ Severæ, scilicet sanctam YDUBERGAM (***, quæ peperit ipsi Duci GRIMOALDUM, qui occisus fuit, & in Joppiliâ juxta Harstallium quiescit: & sanctam BEGGAM, quæ fratri successit in Ducatu Lotharingiæ & Brabantiæ, & sanctam GERTRVDEM virginem, quæ prædia portionis patrimonii sui contulit Monasterio suo NIVELLENSI, quæ ibidem cum patre & matre quiescit. Hi manserunt apud Lauden in Brabantiâ: ubi ipse Pipinus primò sepultus diu quievit; sed corpus ejus

(*) MS. ALBERTUM.
(**) MS. Parilem.
(***) MS. Ildebergam.

ejus poſtea translatum eſt ibidem in NIVELLA in Brabantia. Erat & ipſe PIPINUS Major domus in regno, & poſteri ſui jure hereditario GLADIUM REGNI PORTANTES & ſuper omnes Principes ipſum regnum gubernando principantes. Nam Reges temporibus ipſorum Ducum, ſolum nomine regio regnabant; Sed Majores Curiæ, Duces ſcilicet inferioris Auſtriæ, quæ modo dicitur Lotharingia, ſuſcipientes redditus & opes Regni ipſum regnum regebant.

Sancta BEGGA, Duciſſa Lotharingiæ & Brabantiæ ſecunda, genuit ex ANSIGISO Francigenâ PIPINUM juniorem, Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ (a) tertium, avo ſuo conſimilem: cujus ſicut erat heres nominis, poſſeſſionis & dignitatis, ita Juſtitiæ & religionis, vir acer conſilio, & manu ſtrenuus, qui totam potentiam ſuam ad exaltandam Sanctam Eccleſiam convertit. Hic duxit ſibi ſanctam PLICTRUDEM, qui peperit ei tres filios, DROGONEM ſcilicet Campanenſium Principem; & GRIMOALDUM, qui martyrizatus fuit Leodii, & ibidem apud Sanctum Jacobum

(a) MS. Brabantinum.

bum in altari cryptæ (b) quiescit; & sanctum SILVINUM, qui Chimaci quiescit in Ecclesia sancti Petri, quam mater sua fundavit, quæ Coloniæ quiescit in monasterio Sanctimonialium Sancta Mariæ, quod ipsa construxerat. Hujus filii vivente patre & matre mortui sunt.

PIPINUS etiam genuit de PLIADE sorore Dodonis, ejus concubinâ, (c) KAROLVM MARTELLVM Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ quartum, virum elegantem & egregium, Ducem invictum, imò victoriosissimum, qui patrios limites transgrediens multa regna sibi subegit. Qui requisitus, Rex Franciæ fieri noluit; Gloriosius ducens Regibus imperare, quàm Rex esse. Hunc, ut dicitur, avia sua sancta BEGGA nutrivit apud Andennam, in cujus confinio ipse KAROLUS in Juventute suâ occidit Ursum, in loco qui adhuc ob id Ursella vocatur. Hujus pater Pipinus medianus mansit apud Joppiliam juxta (d) Harstallium.

KAROLUS MARTELLUS genuit Pi-

(b) MS. altaris crypta.
(c) MS. legitima.
(d) MS. Heristallum.

Pipinum Parvum Archiducem Lotharingiæ & Brabantiæ quintum, virum ſapientiâ juſtitià ac fortitudine clarum ; & KAROLOMANNUM Regem, poſtea Monachum Caſſinenſem ; & Sanctum REMIGIUM Archiepiſcopum Rothomagenſem, & LANDRADAM Abbatiſſam Cœnobii de Belliſia. PIPINUS autem ex Duce, Apoſtolicâ auctoritate, & Francorum electione, juſſu Zachariæ Papæ, à ſancto Bonifacio Maguntiæ Archiepiſcopo in Regem Francorum ungitur, & poſtea à Stephano Papâ, cum uxore ſuâ BERTRADA, & filio ſuo KAROLO in Regem conſecratur, ac per eos omnis eorum generatio in hereditatem Regalis ſucceſſionis in perpetuum benedicitur, & omnis alienigena ab invaſione Regni Apoſtolico anathemate interdicitur. Hilderico Rege Francorum tonſurato (e), & in Monaſterio S. Medardi Sueſſionis truſo.

PIPINUS tertius genuit ex BERTRADA Reginâ KAROLUM MAGNUM, hujus ſtirpis Imperatorem primum, Regem Franciæ in recta Linea ſecundum, hereditarium verò Archiducem Lotharingiæ & Brabantiæ

(e) MS. attonſo.

Sextum. De quo viro neſcias utrum in eo virtutem bellicam, an ſapientiæ naturalis claritatem, an omnium liberalium artium peritiam, Religioniſve Chriſtianæ magis mireris obſervantiam. Pipinus Rex, & Bertrada Regina uxor ſua, manſerunt apud Harſtallium, Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ quondam palatium celebre, quod dicitur fuiſſe caput Brabantiæ: apud quod manens Karolus cum patre & matre, tunc temporis adoleſcens ſpectabilis elegantiâ formæ, virium & animi magnitudine præſtantiſſimus occidit urſum immanem apud Beliſiam in præſentiâ ſanctæ Landradæ ſuæ materteræ, Abbatiſſæ ejusdem Cœnobii. Quæ ipſum ideò KAROLUM MAGNUM appellavit, quod nomen ei hactenus permanſit. Beliſia ſita eſt inter urbem Tongrenſem & Trajectum. Karolus omnes artes liberales didicit, & ſtudioſiſſime coluit: libris divinis continuè intentus fuit. Karolus legendi & pſallendi Divinum Officium diſciplinam correxit: erat enim in utroque peritus, & legere & cantare cum clericis in Choro ſolebat. Karolus inchoavit Grammaticam PATRII Sermonis, id eſt Theutonici: menſibus anni juxta patriam linguam vocabula impoſuit Theutonica: ventos etiam XII. pro-

propriis nominibus theutonicè nominavit; cum tamen ante ipſum tantum venti cardinales nominarentur. Karolus eleëmoſynas, virtutes & magnalia coram Deo & hominibus glorioſa operatus eſt, modernis tam incredibilia quam inuſitata. Karolus Imperator incomparabilis, Monarchiam Regens Chriſtianitatis, patriam ſuam, ſcilicet Ducatum Lotharingiæ & Brabantiæ, præcipue dilexit, terram ſcilicet nativitatis & hereditariæ poſſeſſionis ipſius, patrimoniumque ſuorum (a) Principum terre præſcriptorum; qui cetera regna, quæ randem poſſederunt ex acqueſtu adepti ſunt. Hanc terram ipſe frequentius inhabitando coluit, & præcipuis reliquiis, privilegiis & dignitatibus ſublimavit. Qui in ipsâ terrâ Aquisgrani baſilicam conſtruxit, ad cujus dedicationem ipſe Karolus Leonem papam, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Duces, Marciones, Principes & quaſi Concilium totius Chriſtianitatis congregavit. Quorum omnium auctoritate, ſcilicet præcipue ſua & Apoſtolica, ipſe Karolus ibidem Thronum Imperialem conſtituens in perpetuum, quod quilibet Imperator Romanorum futurus,

(a) MS, parentum.

rus, Aquisgrani esset coronandus. Ibi ipse Karolus mansit: Ibi mirabilia operatus est: ibi in pace quiescit: ibi etiam ab hoc sæculo sanctissimè decessit, anno ætatis suæ LXXII. anno vero regni sui XLVI. & anno Imperii sui XIII. Quo moriente sol obscuratus est, & fiebant ibi miracula magna.

Karolo Magno successit filius ejus Ludovicus piissimus Augustus, qui Metis apud sanctum Arnulphum quiescit cum matre sua Hildegarde Reginâ, & pluribus sui generis.

Ludovico Pio successerunt tres filii, Lotharius, Ludovicus, & Carolus Calvus. Hi tres fratres partiti sunt inter se regna paterna. Ludovicus quidem obtinuit Thuringiam, Saxoniam, Austrasiam, Bajoariam, Regnum Hunnorum, Orientalem Franciam, quæ est Alemannia; hæc sita est inter Danubium & Rhenum, in qua ipse Ludovicus regnavit annis LIV.

Karolus Calvus obtinuit totam Neustriam, Britanniam, & majorem partem Burgundiæ, Gotiam, Vasconiam, Aquitaniam, occidentalem Franciam, in qua ipse Karolus regnavit annis XXXIX.

Lotharius verò Imperator, qui major natu erat,

erat, obtinuit omnia regna Italiæ, id eſt Lombardiæ, cum ipſa Roma, & totam Provinciam, totam Auſtriam medianam, ſive Franciam, quæ ſita eſt inter Scaldum & inter Rhenum, & Burgundiam, & mare Friſonum: in qua terra ſunt tres Archiepiſcopatus, ſcilicet Colonia, Treveris & Moguntia. Hæc terra quondam Auſtria dicta fuit, quæ ab ipſo Lothario mutato nomine vocata eſt Lotharingia, id eſt, Lotharii regnum. Qui Lotharius relinquens Monarchiam, cum ipſe imperaſſet annis XXXIV. factus eſt Monachus apud Prumiam in Lotharingia, ibique vitam monaſticam religiosè conſummans, quieſcit in pace. Cui ſucceſſit filius ejus

LOTHARIUS Junior: quo mortuo ſine Liberis, patrui ejus partiti ſunt inter ſe regna ipſius Lotharii: Ludovicus ſcilicet Rex Alemanniæ & Carolus Calvus glorioſus Rex Franciæ; qui Carolus Imperator mortuus eſt, & apud Sanctum Dionyſium in Francia ſepultus.

Cui ſucceſſit filius ejus LUDOVICUS BALBUS, qui regnavit in Francia duobus annis, & mortuus eſt ſine Liberis: ſed ipſe decedens, uxorem gravidam reliquit; quæ peperit tandem KAROLUM Simplicem Re-

gem Franciæ, & Ducem Lotharingiæ, qui duxit OGIVAM filiam Regis Angliæ. Hujus Karoli tempore disiunctum Imperium Romanorum à regno Francorum, & Duces Saxoniæ adepti sunt Imperium.

KAROLUS Simplex cum auxilio Lotharensium occidit ROBERTUM TYRANNUM avum HUGONIS CHAPEL: quia ipse Robertus contra ipsum Karolum, regnum Franciæ injustè invaserat. Hic Karolus postea captus est à Heriberto Comite Viromandorum, & Peronæ in captivitate martyrizatus.

Cui successit filius ejus LUDOVICUS Rex Franciæ, qui duxit GERBERGAM filiam Henrici Primi Imperatoris de genere Saxonum; qui etiam genuit Brunonem Archiepiscopum Coloniensem, & primum Ottonem Imperatorem; qui industriâ suâ invenit venas auri & argenti in Saxonia, & Civitatem Magdeburgensem fundavit. Ludovicus Rex captus est à Normannis Consilio nequissimi Hugonis Comitis Parisiensis. Qui Hugo fuit filius ROBERTI TYRANNI, & pater Hugonis Chappel, qui posteà regnum usurpavit injustè. LUDOVICUS Rex tandem à Captivitate liberatus est; qui genuit ex GERBERGA Regina Lotharium Regem Fran-

Franciæ & KAROLUM Ducem Lotharingiæ, possessorem Brabantiæ; Cujus specialis possessio Bruxella fuit. Hic Korolus Dux Sanctam Gudilam de Mostellâ transtulit in Bruxellam: cui ipse dedit partem Villæ, quæ vocatur Molenbecca juxta Bruxellam, & alia bona, & familias, ibidem ipse Karolus eidem Virgini contulit.

Cujus frater LOTHARIUS Rex regnavit in Francia annis XXXI. & mortuus est Remis, & apud Sanctum Remigium sepultus.

Cui successit Filius ejus LUDOVICUS Rex ultimus Franciæ de Stirpe Karoli Magni: Hic enim regnavit anno uno, & mortuus est sine liberis, & apud Sanctum Cornelium Compendii sepultus.

Cui successit patruus ejus KAROLUS Dux Lotharingiæ & Brabantiæ præscriptus. Eodem anno Rebellavit contra Carolum Ducem HUGO Comes Parisiensis dictus CHAPEL: cujus antecessores malitiose conati sæpe fuerant prosapiam Karoli Magni regno Francorum exhereditare. Hic etiam Hugo noluit pati, quod Karolus Dux ungeretur in Regem, cum tamen Francigenæ conarentur regnum transferre ad ipsum Karolum regni hæredem. Igitur CAROLUS Dux Lotharingiæ & Brabantiæ obti-

obtinens Primogenita Prosapiæ Karoli Magni, petit regnum Francorum ex paternâ & avitâ successione sibi debitum; Laudunum capit, Montem acutum expugnat, Civitatem Remensem aggreditur & occupat; Archiepiscopum quem Hugo præfecerat, & quosdam primates capit, & Lauduno relegat, & Laudunum cum multa præda revertitur. Hugo hoc molestè ferens, collecto exercitu copioso valdè obsedit Karolum in Lauduno, ubi ipse Karolus mansit cum uxore suâ; secundo autem obsidionis mense, Karolus & sui in Lauduno obsessi prosilientes irruerunt super exercitum Hugonis, qui turpiter fugiens vix evasit, plurimis suorum interemptis: & Karolus cum triumpho reversus est Laudunum. Igitur Hugo cernens, quod non posset Karolum vincere, consilium habuit cum Anselino Laudunensi Episcopo, vetulo traditore, qui erat Consiliarius Ducis Karoli. Tradens autem Anselinus Laudunum Hugoni, nocte una quiescentibus civibus, & hanc traditionem clam factam ignorantibus, & cepit Karolum, quem vinctum misit Aurelianum in captivitatem & uxorem suam. Igitur capto Karolo, qui fuit Heres Regni Francorum, accessit Hugo ad Remensem Civitatem,

tem, & fecit se ungi in Regem: nondum erat Karolus unctus in Regem, resistente ei Hugone. Eodem etiam anno Robertus filius Hugonis Rex ordinatur. Isti non fuerunt de Progenie Karoli Magni qui Regnum Francorum fraudulentur intraverunt, & posteris suis hereditariè reliquerunt: & sic *STIRPS KAROLI* Magni cessavit regnare in Francia, in qua confirmata fuerat hereditariè Apostolicâ auctoritate & Francorum electione, latâ etiam sententiâ anathematis perpetui à Stephano Papa in omnes alienigenas, regnum Francorum contra ipsam prosapiam invasuros. Hæc stirps gloriosa, per quam exaltata fuerat Sancta Ecclesia, & Lex Christiana, principando permansit in Brabantiâ, ex quo originem traxerat, scilicet ex avo, & patre sanctæ Gertrudis. Nam Karolus Dux genuit *GERBERGAM* Comitissam Bruxellensem, quæ Nivellæ quiescit: cujus omnes antecessores in Recta linea positi, â Priamo primo Rege Francorum, usque ad ipsam Gerbergam, Reges fuerant Franciæ, præter tres Principes & tres ArchiDuces, qui ponuntur inter Lotharium magnum Regem, & Pipinum primum Regem. Sed pater Gerbergæ Dux Karolus Heres Regni Fran-

Francorum amiſit ipſum. Gerberga etiam filia ejus amiſit Lotharingiæ Ducatum, & poſteri ſui, qui ſolumodò obtinuerunt Brabantiæ Ducatum usque ad Ducem cum Barbâ quintum à Gerberga. Hi Principes Brabantini & Marciones Imperii, vocabantur Comites Bruxellenſes, vel Lovanienſes.

GERBERGA genuit Henricum Seniorem de Bruxella, Marcionem Imperii, cujus pater erat *LAMBERTUS* cum Barbâ, frater Ragineri Comites Hanoniæ. Hic *LAMBERTUS* fuit Princeps Brabantiæ ex parte uxoris ſuæ Gerbergæ, qui Lovanienſem Eccleſiam conſtruxit, & Baldricum Leodienſem Epiſcopum, & exercitum ejus in bello vicit apud Hugardis in Brabantiâ. Hic *LAMBERTUS* poſteà apud Florines præliando occubuit; qui genuit Henricum, & Lambertum, dictum Baldricum, Comitem Bruxellenſem, Imperii Marcionem; & Matildem, quæ peperit Euſtacium, Comitem Bolonienſem, qui genuit ex Sancta *IDA* Euſtacium Comitem Bolonienſem, & *GODEFRIDUM* Ducem Lotharingiæ & Balduinum. Hi Reges fuerunt in Jheruſalem Chriſtianorum primi, & virtutibus excellentiſſimi: qui

qui nati ac nutriti fuerunt in Brabantia, scilicet apud Baisin, juxta Genapiam, castrum Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ. Hi dicti fuerunt de Bulhon, quia ipsi adepti sunt principatum de Bulhon (a) post mortem avunculi sui Godefridi Gibbosi.

LAMBERTUS Marcio præscriptus, & *ODA* uxor sua, transtulerunt sanctam Gudilam de Ecclesia S. Gangerici, in Ecclesiam superiorem ibidem, ubi & dederunt decimas Bruxellæ, & instituerunt ibidem duodecim præbendas. Sub hoc etiam Lamberto statutæ sunt septem præbendæ primitus in Lovanio.

LAMBERTUS genuit Henricum Comitem Lovaniensem, Marcionem Imperii, quem Hermannus ejus captivus occidit.

Hic *HENRICUS* genuit Renerum, qui in Hasbania occisus; & Henricum Comitem Lovaniensem, Marcionem Imperii, qui genuit Henricum Comitem Lovaniensem & Godefridum cum Barbâ.

HENRICUS Marcio genuit quatuor filias, quarum una procreata est Imperatrix Romanorum, quæ fuit uxor Imperatori Frie-

(a) MS. Bullion.

Friderico. Hic Henricus apud Tornacum occisus Nivellæ quiescit cum patribus suis: Nam septem Principes Brabantiæ Nivellæ quiescunt, sanctus PIPINUS, primus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, & sancta *IDUBERGA* uxor sua; Sancta *GERTRUDIS* eorum filia; Gerberga Comitissa Bruxellensis. *HENRICUS*, *LAMBERTUS*, & *HENRICUS*, Principes Brabantini.

Henrico apud Tornacum occiso, successit in Principatu Brabantiæ frater ejus *GODEFRIDUS* cum Barbâ, Princeps Excellentissimus, Qui primogenita obtinens Stirpis Caroli magni, industriâ sua meruit restitui in Ducatu Lotharingiæ, quem erexerant patres sui, antecessores Caroli Magni, antequam Reges fierent Franciæ hereditarii.

GODEFRIDUS cum Barba genuit *GODEFRIDUM* Ducem Lotharingiæ, & Henricum Comitem Lovaniensem, tandem Monachum Haffligensem, & Aleydem (a) Reginam Angliæ, & Ydam Comitissam Clevensem, & Clariciam, quæ virgo permansit. Horum pater in Monasterio Haffligensi quiescit, & filius ejus Hen-

(a) MS. Adelheidem.

Henricus cujus fundum ipſe ſancto contulerat Petro.

GODEFRIDO cum Barba ſucceſſit filius ejus GODEFRIDUS, Dux Lotharingiæ & Brabantiæ hujus nominis ſecundus, qui duxit LUTAGARDEM (a) Duciſſam de Salchbach (b) illuſtriſſimam, quæ fuit ſoror Imperatoris Romanorum. Iſte Godefridus tantum quatuor annis Dux fuit; cui ſucceſſit filius ejus GODEFRIDUS hujus nominis tertius Lotharingiæ & Brabantiæ, infans anni unius. Hac de causâ multas adverſitates diu paſſa eſt Brabantia, & multa amiſit prædia, quæ ad Duces Brabantiæ amplius non ſunt reverſa. Hic GODEFRIDUS tertius duxit MARGARETAM de Lembourch, quæ peperit ei duos filios vitâ & formâ egregios, ſcilicet Henricum Seniorem Ducem, & Albertum (c) Epiſcopum Leodienſem, qui martyrizatus fuit juxta Civitatem Remenſem; Remis quieſcit. Horum pater ſecundam duxit uxorem YMAGINAM DE LOZ, quæ peperit ipſi Duci Willelmum, ex quo proceſſit ſtirps de Perwer.

(a) MS. Hermingardem.
(b) Suevia MS.
(c) MS. Alberonem.

Henricus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ hujus nominis primus duxit Mathildem Boloniæ heredem ex prosapia Regum Angliæ nobilissimam: de qua ipse Dux duxit (d) Henricam juniorem Ducem illustrissimum, & Godefridum de Lovanio, & Mariam Imperatricem Romanorum & Comitissam Ghelrensem & Alaidem Comitissam Boloniæ & Alverniæ, & Mathildem Palatinam Comitissam Rheni, postea Comitissam Hollandiæ. Horum pater Henricus, duxit secundam uxorem Mariam, filiam Philippi Regis Franciæ, quæ Haffligen quiescit; de qua ipse genuit unam filiam. Ex iis filiis & filiabus maxima posteritas potenter procreata est. Maria Imperatrix Lovanii quiescit cum patre & Matre, avo & avia, & proavo.

Henricus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ hujus nominis secundus, duxit Mariam, filiam Philippi Regis Romanorum; qui Rex, filius Frederici primi Imperatoris Romanorum, de genere Suevorum, duxit filiam Imperatoris Constantinopolitanorum: de qua ipse Philippus Rex Romanorum genuit, Mariam Ducissam Lotharingiæ

(d) genuit MS.

giæ & Brabantiæ, & Reginam Hispaniæ & Bohemiæ, quæ genuerunt Reges Hispaniæ & Bohemiæ. MARIA Ducissa genuit Henricum Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ, & Philippum, & Mathildem Comitissam Atrebati & S. Pauli, & Mariam Palatinam Rheni, & Beatricem electam Romanorum Imperatricem Landgraviam Thuringiæ, postea Comitissam Flandriæ & Margaretham Abbatissam Vallis ducis. Horum mater quiescit Lovanii & ambo filii; Quorum Pater Henricus Dux secundam duxit uxorem SOPHIAM Thuringam; cujus avus Rex Hungarorum genuit Belan Regem Hungariæ & Sanctam Elisabeth, Landgraviam Thuringiæ, & Reginam de Arragon, quæ genuit uxorem Regis Philippi Franciæ; qui Philippus Rex præliando Petrum Regem Arragonum condemnatum à Martino Papâ, debellavit; & apud Sanctum Dionysium in Francia quiescit cum patre suo & patribus suorum prædecessorum. Bela Rex genuit Regem Hungariæ; Sancta Elisabeth genuit Sophiam Ducissam Lotharingiæ, quæ peperit Henrico secundo Henricum hæredem Thuringiæ & Elisabeth Ducissam de Brusewich. Henricus secundus Princeps, Villari quiescit, cui successit Filius

ejus Henricus Dux inclytus Lotharingiæ & Brabantiæ, ejus nominis tertius, qui ducit ALEYDEN Ducis Burgundi Filiam, ex Regali ſtirpe. Regum modernorum Franciæ progenitam (quæ peperit Henrico Duci tres filios & unam filiam, nomine Mariam, quam Philippus Rex Franciæ accepit ſibi in uxorem) & ex eâ [Aleyde] genuit Ludovicum Comitem primogenitum Henricum primum, potentem tam ſenſu quàm viribus; ſecundum Joannem elegantem & egregium; tertium Godefridum. Henricus & Maria Lovanii nati ſunt, Joannes & Godefridus Bruxellæ. Joannes autem, propter defectum Henrici fratris ſui, adeptus eſt Ducatum Lotharingiæ & Brabantiæ Terram nativitatis & Hereditariæ Poſſeſſionis Patrum ſuorum, Karoli magni, & anteceſſorum ſuorum. Hic Joannes Dux Lotharingiæ & Brabantiæ, Princeps, Marcio, & Gladiator Imperii, & tandem Dux de Lembourch effectus eſt, qui duxit Margaretham filiam ſancti Ludovici Regis Franciæ, ex qua genuit Filium, quæ poſt modicum cum filio ſuo defuncta eſt. Poſtea duxit Margretham filiam Guidonis Comitis Flandriæ, ex qua genuit duos filios, Joannem & Godefridum, qui quidem Godefridus

dus primis annis pubertatis est defunctus; & duas filias, videlicet MARIAM Comitissam Sabaudiæ & Montium; Et Margaretham, quam duxit Henricus comes de Luceleburg, qui postea factus est Romanorum Imperator, ex qua genuit Joannem Regem Bohemiæ & Mariam uxorem Karoli regis Franciæ. Horum autem pater Johannes Dux prædictus, Barri, in hastiludio defunctus fuit, & in Ecclesia fratrum Minorum in Bruxella unâ cum uxore sua requiescit; Cui successit JOHANNES ejus filius, Dux & Princeps Illustrissimus, qui duxit Margaretham filiam Eduardi Regis Angliæ, quæ genuit JOHANNEM Du- an. 1314.
cem hujus nominis tertium, qui duxit Mariam filiam Domini Ludovici, Fratris Regis Franciæ, & ex ea genuit filiam nomine JOHANNAM.

PARS ALTERA.

HÆc est prosapia modernorum regum Franciæ, qui dominantur Francigenis, ex quo stirps KAROLI MAGNI, Archi Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ, cessavit regnare in Franciâ.

ROBERTVS Marcio, quem Normanni occiderunt, genuit ROBERTUM TYRANNUM, quem occidit Karolus Simplex, Rex Francorum.

ROBERTUS genuit HUGONEM Comitem Parisiensem.

HUGO genuit HUGONEM, dictum CHAPET, qui regnum Francorum usurpavit, & posteris suis hereditariè reliquit; cum tamen ipse non esset de stirpe Karoli Magni, nec filii sui.

HUGO Rex genuit Robertum Regem.

ROBERTUS Rex genuit Henricum Regem.

HENRICUS Rex genuit Philippum Regem.

PHILIPPUS Rex genuit Ludovicum Regem ordinatum.

LUDOVICUS Rex genuit Philippum & Ludo-

Ludovicum & majorem Robertum Comitem.

Philippus major natu unctus in Regem, dum Parisiis equitaret in platea, offensus in porcum, equo decidit, & mortuus est ; cui successit Ludovicus frater ejus.

LUDOVICUS Rex genuit Philippum Regem sensatum.

PHILIPPUS Rex genuit Ludovicum Regem & Mariam Ducissam Lotharingiæ & Brabantiæ qui Haffegen quiescit.

LUDOVICUS Rex duxit Blancam filiam Audefonsi Regis Hispaniæ, quæ peperit ei sanctum Ludovicum Regem.

SANCTUS LUDOVICUS Rex genuit Philippum Regem, & Margaretham uxorem primam Joannis Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ hujus nominis primi.

PHILIPPUS rex genuit Philippum Regem, qui duxit Johannam filiam unigenitam Henrici Regis Navarræ : ex patre cujus, Rex etiam Navarræ ipse & heredes sui effecti sunt.

FINIS CHRONICI.

III.

EXCERPTA HISTORICA.

Ex Chronico Brabantiæ ms. *PETRI DE THYMO* Theſaurarii & Canonici S. Gudilæ Bruxellenſis.

Parte 2. Tit. 17. cap. 1. **K***AROLUS*, filius Ludovici, & frater Lotharii Regis Francorum, anno incarnationis Dominicæ CM. XXCIV. Ducatum Lotharingiæ ſuſcepit, quem tenuit annos octo. (a. 984.) Hic ſtatum ſui Ducatus guerris & diſſenſionibus valdè turbatum inveniens mente perdoluit, magnisque laboribus odiorum cauſſas prudenter exſtirpans, Nobiles ſibi ſubjectos ad invicem pacificavit. Quibus pacatis, ipſe ad meliora ſubditorum animos ſtudiosè advertit. Sanè glorioſus dux iſte *KAROLUS* principale ſuum domicilium tenuit Bruxellæ in Palatio proavorum ſuorum, pro tunc ſito inter duo brachia fluminis Sennæ, prope Eccleſiam Sancti *GAUGERICI*, quæ tunc fuit Capella Ducis.

LO-

cap. 3. *LOTHARIUS* Rex Francorum, frater KAROLI Ducis Lotharingiæ, Senex & plenus dierum, cum regnasset annis triginta tribus, obiit anno Domini
an. 987. CM. XXCVII. & est sepultus Remis in Ecclesia Sancti Remigii. Eodem Anno LUDOVICUS filius Lotharii, post mortem patris cœpit regnare super francos; & regnavit anno uno: hujus Dux fuit HUGO CAPET, Comes Parisiensis. Sanè hic LUDOVICUS fuit Ultimus Rex Francorum de Genere Caroli Magni; qui adhuc juvenis, & nondum primo Regni sui anno expleto, sine prole decessit, & est sepultus in Basilicâ Sanctorum Martyrum Cornelii & Cypriani apud Compendium.

LUDOVICO Rege Francorum, filio
Cap. 4. Lotharii, fratris KAROLI Ducis Lotharingiæ absque liberis defuncto
an. 988. anno Domini CM. XXCVII. volebant Franci Regnum ad patruum suum prædictum KAROLUM, Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ, verum Regni heredem transferre. Sed tum ille, ut regnum accepturus paratior iret, rem differt.

HUGO CAPUTIUS, vulgariter dictus CAPETI, filius Hugonis Comitis Parisiensis, Regnum Francorum fraudulenter usur-

pat; Speciem, ſivè occaſionem rebellandi contra Karolum, verum & juſtum heredem regni prætendens, eò quòd KAROLUS filiam Heriberti Comitis Trecarum accepiſſet uxorem. Econtrà KAROLUS Dux regnum ex paternâ & avitâ ſucceſſione ſibi debitum ex manibus HUGONIS CAPUTII invaſoris, ſui conſobrini, volens extorquere, Brabantinorum & Lotharingorum collecto exercitu copioſo ad Franciam in manu forti perrexit, regnum repetit & Hugonem bello perurgens, Laudunum Vrbem obtinuit. At Hugo collectis Francigenis Laudunum obſidens, KAROLUM in eo concludit: Sed ſecundo obſidionis menſe *KAROLUS* & ſui proſilientes caſtra obſidentium incenderunt; & bello commiſſo, *HUGO*, pluribus ſuorum peremptis, turpiter fugiens, vix evaſit. Poſt hæc anno Domini
an. 989. CM. XXCIX. *KAROLVS* cum ſuis Laudunum exiens, Montem acutum expugnat, Sueſſionis usque vaſtando peraccedit: inde Remenſem urbem aggreſſus, Laudunum multâ cum prædâ revertitur. Iterum autem & ſecundâ vice *KAROLVS* urbem Remorum forti aſſaltu impugnans obtinuit; Archiepiſcopum, quem Hugo ibi præfecerat & quosdam primates urbis

urbis captos, Lauduno relegat. Cernens igitur *HVGO*, quod *KAROLVM* viribus vincere non poterat, ad dolum se convertens, nequitiæ suæ socium requisivit, & inito Consilio cum Anselino Laudunensi Episcopo, vetulo traditore, conventionem pepigit, ut sibi *CAROLVS* traderetur. Itaque quadam nocte statutâ quiescentibus Civibus, Anselinus Episcopus Laudunensis, falsus *KAROLI* Consiliarius, eundem *KAROLVM* Dominum suum dolosè tradens, portam Civitatis Laudunensis aperuit *HVGONI*; qui cum suis intrans *KAROLVM* cum uxore in lecto cœpit quiescentes, quos vinctos mox ad Aurelianis civitatem in custodiam misit anno
an. 990. Domini CM. XC. Sanè *KAROLVS* cum uxore apud Aurelianis civitatem positi in Turrim, manserunt captivi annis duobus; ubi duos filios, Ludovicum & Karolum genuerunt. *Anno autem Domini CM. XCII.* (a) *anno scilicet octavo Regni Ottonis tertii Imperatoris Romanorum, KAROLUS cum uxore & filiis,* *LU-*

(a) Non potest non auctor noster hic lapsus esse, cum supra probaverim, filios diutius fuisse superstites.

LUDOVICO & KAROLO ibi genitis, apud Aurelianis, ex jussu & præcepto HVGONIS in carcere sunt necati, quia HVGO noluit eos supervivere, quos regnum, si superessent, timuit petituros.

KAROLUS Dux Lotharingiæ &
Tit. 18. Princeps Brabantiæ, ac verus & ju-
cap. 1. stus heres regni Francorum, dolo captus, & carcerali custodiæ mancipatus, in Turrim apud Aurelianis Civita-
an. 992. tem obiit anno Domini. incarnat. CM. XCII. cui in Ducatu Lotharingiæ & Brabantiæ successit filius ejus Otto, qui illis præsedit annis quatuordecim. KAROLUS Dux genuit tres filios & duas filias, OTTONEM, LUDOVICUM & KAROLUM, GERBERGAM & Ermengardem; quorum OTTO, & ambæ filiæ, nati sunt in Brabantiâ, Bruxellæ in Palatio Ducis, quod tunc situm fuit supra fluvium Sennam, apud Sanctum Gangericum, antequam KAROLUS Dux, pater ipsorum, Regnum Franciæ ab Hugone Capeti, qui illud invasit, armata manu repeteret. Sed LUDOVICUS & KAROLUS posteà nati sunt Aurelianis in captivitate parentum, cum quibus ibidem (ut suprà dictum est) simul interierunt. Porro prænominatæ duæ filiæ KA-

ROLI Ducis, sorores Ottonis, nupserunt duobus Comitibus in regno Lotharingiæ; GERBERGA scilicet LAMBERTO, fratri Ragineri Comitis Hannoniensis; & ERMENGARDIS Alberto Comiti Namurcensi. Otto itaque, filius Karoli, post patrem suum rexit Ducatum Lotharingiæ & Brabantiæ annis quatuordecim, & obiit Coloniæ sine liberis anno Domin. incarnationis, M. VI. Et dicunt a. 1006. quidam, quod translatus Nivellam in Ecclesia sanctæ GERTRUDIS sepulturam accepit. Alii autem dicunt, quod Coloniæ in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ ad Capitolium fuit sepultus.

De sancta Gudila, & ejus translatione.

PIPINUS primus, filius KAROLOMANNI primi Principis Brabantiæ, habuit sororem germanam nomine AMELBERGAM, quam WALBERTUS Comes duxit uxorem, genuitque ex ea filium & filiam; WALBERTUM scilicet, & AMELBERGAM juniores. Qui siquidem Walbertus junior inter Galliarum Princi- Part. 2. Tit. 17. cap. 2.

pes,

pes, præcipuus, ex nobili *BERTILIA* suâ conjuge genuit sanctam *WALDETRUDEM* Comitissam Hanoniensem, & sororem ejus sanctam *ALDEGUNDEM*, quæ Malbodii requiescit. Ast Amelberga junior, Pipini Ducis inclytâ sorore progenita, nupsit *WITGERO* Comiti in pago Brabantensi, cui peperit unum filium & tres filias; scilicet Sanctum *ABLEBERTUM* sive Emebertum Cameracensis Ecclesiæ Episcopum, qui cum sua cognatâ Adelgunde Malbodii requiescit; Sanctam *REYNILDEM* virginem & Martyrem, quæ quiescit apud Xanctas in Brabantia; Sanctam Pharaildem virginem, quæ pausat in Gandavo; & Sanctam *GUDILAM* virginem, de qua nobis hic loquendum est. Orta est sane hæc Virgo *GUDILA* Brabantensium finibus, à parentibus tàm religiosis, quam nobilibus, temporibus Sigiberti Regis, qui fuit Dagoberti Regis filius; eo scilicet tempore, quo beata Gertrudis, filia Pipini Ducis, vixit celeberrima in Dei rebus, quæ hujus Virginis GUDILÆ regenerationi non solum interfuit, sed & eam, manuum suarum munditiâ sanctificans, de Sacro fonte levavit, unde factum est, ut virgo Virginis mater per Spiritum fieret, atque ulterius

sub

ſub uberibus doctrinarum ſuarum educandam ſuſpenderet. Poſtquam verò beata Gertrudis de hujus mundi peregrinatione tranſivit ad patriam, almiflua CHRISTI virgo GUDILA tantæ carnalis neptis, & ſpiritualis matris ſolamine deſtituta, ad parentum ſuorum limina repedavit; quam qualemque vitam ipſa ibi duxerit, qui ſcire velit, in legendâ ſuâ requirat. Obiit autem beata Virgo GUDILA, Pippino Groſſo regni monarchiam regente, ſexto Idus Januarii, & eſt ſepulta in villâ Ham juxta Xanctas, quam etiam hodie eo ipſo vocabulo conſtat nominatam: quo ſiquidem die ſuæ ſepulturæ & ad ejus tumulum ſubitò viſa eſt arbor vireſcere, & quod natura temporis non habuit, in propagines formari, & frondeſcere, in teſtimonium ejusdem virginis, in domo Domini ut palma florentis. Poſt hæc, eo tempore quo Sceptrum Monarchiæ Imperialis tenebat KAROLUS, qui ex trophæis frequentibus cognominatus eſt magnus, corpus beatæ Virginis GUDILÆ ad Eccleſiam Sancti Salvatoris apud MORTSELLAM translatum eſt: & altera die translationis, arbor, quam prædiximus, ſacræ virginis membra de HAM usque MORSTELLAM fuerat ſubſecuta & co-

& coram prædicti Oratorii ſancti ſalvatoris foribus convenienter transplantata, quaſi à primordio ibidem germinare cœpiſſet, cùm tamen hæ villæ ab ſe invicem ad duo milliaria diſtent. Unde Rex KAROLUS hæc audiens, illuc devotus advenit, & ex eo viſo miraculo compunctus, villam Ham, juxta Xanctas, & villam Mortſellam, ubi ſancta virgo jacebat, in perpetuam hereditatem eidem beatæ virgini GUDILÆ, Conventum ſanctimonialium ibidem conſtituens, delegavit. Quæ traditio usque ad diruptionem Danorum ſivè Northmannorum rata permanſit; ob quorum metum corpus prædictæ ſanctæ GUDILÆ virginis apud Capremontem delatum reſervatur. Dani autem, ſivè Northmanni præfatum Monaſterium apud Mortſellam, quod Carolus Magnus beatæ GUDILÆ dedicavit, penitus deſtruxerunt. Cum autem tempore KAROLI Regis, cognomento Simplicis, corpora Sanctorum, quæ ipſorum timore ad tutiora loca translata fuerant, ad ſuas Eccleſias reportantur; & ita eo tempore Corpus ſanctæ Virginis de Caſtro Capremontis ad idem Cœnobium Mortſellæ, â paganis deſtructum refertur; ubi ipſum, eâ quâ loci illius valuit paupertas, venera-

tione

tione colebat. Porro Wenemarus quidam nobilis fundum Mortsellensem, quem Karolus Magnus, ut Princeps Brabantiæ, sanctæ GUDILÆ tradiderat, violenter invasit, ac moniales ibi Deo servientes, præ penuriâ fugere coegit. Ermenfridus quoque, filius Wenemari, post mortem patris res prædictæ Ecclesiæ à suo genitore invasas detinere non abhorruit, donec Karolus Ducatum Lotharingiæ esset adeptus. Tunc enim Karolus Dux res ablatas Ecclesiæ Mortsellensis ab invasoribus abstrahere, & sanctæ GUDILÆ virgini restituere voluit: Sed econtrà Ermenfridus cum suis, bona illa fuisse sui patris, ac se paternæ hereditatis successorem proclamat. Unde Karolus Dux, considerans Ermenfridum plus terrena quàm cœlestia diligere, sano inito consilio, res invasas dimittens Ermenfrido, pretiosam margaritam, quâ ipse indignus erat, sibi auferens, corpus scilicet beatæ Gudilæ virginis in Capellam suam, Ecclesiam Sancti Gaugerici Bruxellensis, debito cum honore ferebat. Hunc cœlestem thesaurum cupiens Karolus oculis conspicere, temerè quamvis devotè, thecam aperuit: Sed (mirum dictu) Ecclesiam totam repentè nebula circumfundens, omnem diurni

luminis claritatem in nocturnas tenebras permutavit. Saniori ergo innitens consilio Dux cum Clero, & fidelium plebe, se triduo in contritione carnis & spiritus coartavit: quo expleto, memoratus Princeps in omni humilitate, cum sacerdotibus & thymiamate accedens, thecam virginis aperuit; & cum religiosè vidisset quod desiderabat, gratias Deo agens, thecam reclusit, ac suo sigillo signavit: partem villæ, quæ vocatur Molebeca, juxta Bruxellam, sex familias, & alia quam plura sanctæ GUDILÆ virgini KAROLUS Dux tradens, condonavit. Et illic virgo sancta in magna veneratione quievit, usque ad tempora Comitis Lamberti, qui Baldericus cognominabatur: ipse enim corpus beatæ GUDILÆ de Capellâ Sancti Gaugerici in Ecclesiam Bruxellensem sancti Michaëlis in monte transtulit, ut infra suo loco dicemus.

De Translatione Corporis beatæ Gudilæ virginis ad Ecclesiam sancti Michaëlis; & de institutione Canonicorum Bruxellæ, & Lovanii.

Part. 3. Tit. 4. cap. 2.

COmes LAMBERTUS, qui & BALDERICUS cognominatur, cum Re-

Reverendo Patre Domino Gerardo Cameracensi Episcopo, ceterisque Sacri Ordinis personis, levavit gloriosum corpus sanctæ Gudilæ virginis, & illud transferens de Capella Sancti Gangerici Bruxellensis in Superiorem Ecclesiam, ibidem sub honore Sancti Michaëlis Archangeli consecratam, reposuit anno Domini Millesimo quadragesimo septimo: & Canonicos; a. 1047. quos pater suus Lambertus cum Barba ibi ordinaverat, tam numero, quàm decimis & prædiis adaugens, ad perpetuo serviendum Deo, & beatæ GUDILÆ virgini, Collegium duodecim Canonicorum ibi constituit. Ast in Ecclesia beati Petri Lovaniensis septem præbendas Canonicales de novo fundans, omnes decimas infra allodium Lovaniense pro illarum dote donavit. Huc usque Petrus de Thymo; ad cujus Chronici finem adjectum est hoc Elogium: Egregius quondam Vir, ac recolendæ memoriæ Magister PETRUS DE THYMO, vulgariter dictus van der Heyden de Chierle juxta Herentals partium Campaniæ oriundus, Artium Magister, in Jure Canonico Licentiatus, in Legibus Baccalaureus, Thesaurarius & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Gudilæ Bruxellensis, quinquaginta an-

nis istius oppidi Bruxellensis Advocatus Stipendiarius fuit, & ad ejusdem oppidi utilitatem istud tertium volumen cum duobus praecedentibus compilavit. Postmodum cum octuaginta esset annuorum, catholice & fideliter obiit anno Domini M. CD. LXXIII. Secundum modum Scribendi Curiae Cameracensis, XXVI. die Februarii. Anima ejus in Christo fidelium requie perfruatur. a. 1473.

Finis Excerptorum.

IV.

Adelheida Burgunda secunda | Otto I. Imper. | Editha Angla prima vxor.

Otto 2. Imper. | Theophania. | Luitholfus Dux Allemanniæ post socerum. | Ita Hermanni Allemanniæ Ducis filia & hær.

Otto 3. Imp. | Maria. | Otto Dux Allemanniæ, & Boioariæ. | Juditha.

Heinricus sive Hecilo. | Adelheid. Egesheimensis. | Bruno; qui Gregorius V. pontifex. | Gulielmus, Episcopus Argentinens. | Conradus Dux Carinthiæ. | Matilda.

Conradus II. Imp. Salicus. | Gisela. | Juditha. | Gebhardus Episcop. Ratisbonensis. | Conrad. Dux Wormatiæ sive Carinthiæ. | Bruno episc. Virceburgi.

Agnes Pictaviensis secunda. | Henricus III. Imperator. | Matthia. Cunelinda filia abbatissa. | Angla prima vxor. | Berca. vx. Eudonis Comitis Blesentis. | Beatrix vx. Bonifacii Marchionis Tusciæ, mater Mathildis. | Conradus Dux Carinthiæ. | Henricus Palatinus Lotharingiæ.

Praxedis Ruthena secunda vxor. | Henricus IV. Imp. | Conradus Dux Bavaria Berchta. Montisferretensis. | Sophia vx. Salomonis Regis Hungariæ, aliis Juditha. | Mathilda Rudolfi Comitis Rhinfeldensis & Ducis Allemanniæ Vxor. | Marquardus Dux Carinthiæ.

Mathilda Angla | Henricus V. Imperat. ultimus Salici generis. | Agnes vx. primo Friderici Sveviæ Ducis, 2. Leopoldi I. Ducis Austriæ. | Clementia, vx. Cunradi II. Comitis Luçemburgensis. | N. vxor Ptolemæi Romani Consulis. | Conradus. Dux Lotharingiæ Rex Italiæ. | Vlricus, Abbas St. Galli patriarcha Aquilejæ. | Luitholdus Dux Carinthiæ & Marquardus Marchio Istriæ.

IV.

FRANCISCI GUILLIMANNI

Consiliarii & Historiographi Cæsarei & Austriaci.

De

VERA ORIGINE

ET STEMMATE

CVNRADI II. IMP.

SALICI SYNTAGMA.

Ad

FRIDERICVM ALTSTETTERVM,

S. Cæs. Majestatis, & Sereniss.

ARCHIDVCIS. MAXIMILIANI III.

Consiliarium Intimum, & Amplissimum

Aulæ Cancellarium.

Cum Sac. Cæs. Majestatis Privilegio perpetuo.

Friburgi Brisgoiæ

Apud JOANNEM STRASSERVM.

Anno M. DC. IX.

FRANCISCI GVILLIMANNI

Consiliarii & Historiographi Cæsarei & Austriaci,

De

VERA ORIGINE

& Stemmate

CVNRADI II. IMP. SALICI SYNTAGMA.

Ad

FRIDERICUM ALTSTETTERUM
S. CÆS. MTIS. ET SERENISS. ARCHIDVCIS MAXIMILIANI III.
Consiliarium Intimum & Amplissimum Aulæ Cancellarium.

HAVT dubie inter laudatissimos Romani nominis Principes CVNRADVS II. quem SALICUM dixere. Quo major gloria ejus præclare ac fortiter gesta celebrantium, & pariter gratia, stirpem atque originem. Poterat utrumque ab Wipone ejus Capellano exspectari, & alterum præstitit egregie: at quæ de Stemmatis primordiis sunt, haut æque patefecit. Patrem, avumque nominare contentus, quæ supra habentur pro derelictis duxit. Incuriane quæ magnos quoque viros sæpius circumvenit; an confidentia, & satis illu-

ſtrem, cui avus, paterque Duces fuiſſent, ſive ea omnium clariſſima origo eſt, quam per virtutem ſibi quisque parit, ac ſuæ poſteritati. Sed profecto & Salici, quos memorat Wipo, progenitores, in magna, & inſigni dignitate agitavere, & à quibus ipſi oriundi. Adeo inclita proſapia, per varios licet ramos diffuſa, vim tamen, ac virtutem retinuit, ac propagavit, neque niſi poſt longa tempora, ut rerum humanarum conditio eſt, & quicquid natum, denaſci quoque neceſſe, aut ſplendorem amiſit, aut ſucceſſionem. Ceterum haut mihi quaquam ea de re cum ſcriptoribus cæteris convenit. Rectene, te, FRIDERICE AMPLISSIME judicem fero. Tu ad ſummam doctrinam, atque eruditionem maximarum rerum uſum, ac exercitium adhibuiſti. Proinde eadem facilitate, tota de controverſia pronunciabis; qua integritate, & ſapientia maximorum Orbis Principum res, & negotia tractas ac moderaris. Ac principio operæ erit pretium, univerſum in tabula Stemma proponere, primoque conſpectu veluti lectoris ſenſum, & animum occupare, mox inde argumentis, ac documentis munire & confirmare. Illud ita ſe habet:

Hæc Stirps, hæc ſeries, hi anteceſſores, hi Succeſſores Salici. Sed jam majores explicemus.

DE PATRE SALICI.

WIponi HEZEL, & HEZELO dicitur: HEINRICVS Hermanno Contracto ad Annum 1015. Neque vero in ea re diſcrimen, aut turbamen. Idem ſignificant. Qui enim aliis Heinricus; aliis, & vetuſtioribus, Heinz, vel Hetz & Hezel, ut amavit priſca gens Germanica pleraque in monoſyllaba redigere vocabula, retentis ferme primis, aut extremis, ê pluribus, ſyllabis. Ita pro Friderico Fritz, pro Conrado Cuntz, vel Cuon, pro Joanne Hans, pro Philippo Lip, pro Matthia This, & id genus prope infinita, quod & in aliis dictionibus, & verbis quoque formandis frequentavere. Mater Adelheid fuit, ſoror Comitum Egesheimenſium Alſatiæ Superioris, Gerardi, & Adelberti, eodem teſte Wipone, quorum Stirpem alias dabimus, digniorem nempe, quam ejus memoria pereat, aut ignoretur. Habuiſſe vero Salicum *Juditham ſororem* poſtea monumento oſtendam: Item Gebhardum fratrem, teſtantur Lambertus, &

idem Contractus; ille eum factum clericum memorat; iste cum Episcopum. Lambertus Anno 1027. *Gebehardus frater Imperatoris coactus est ex laico clericus fieri.* Contractus Anno 1036. *Gebhardus secundus Ratisbonensis episcopus* 16. *Kal. Maj. obiit: pro quo tertius Gebehardus Conradi Imperatoris ex matre Adelheide frater episcopus ordinatus.* Obiit Anno 1060. notante eodem Lamberto. Heinricus Dux sepultus est Vormatiæ æde D. Petri prope altare S. Crucis. Mortis annum nondum reperi.

DE AVO SALICI.

OTTONEM nominatum & Wipo, & idem Contractus consentiunt. Neque de iis, patre, inquam, aut avo, posteaquam scriptor uterque bono reip. literariæ alter novus, alter auctior in lucem prodiit quisquam dubitavit. Verba ramen apponam. Hæc sunt Wiponis de ipso Cunrado Salico, & Cunrado patrueli Duce Vormatiensi. *Erant duo Chunones quorum unus, quod majoris ætatis esset, major Chuno vocabatur: alter autem Junior Chuno dicebatur, ambo in Francia Teutonica*

tonica nobilissimi ex duobus fratribus nati, quorum alter Hezel, & alter Chuno dictus est. Ipsos vero ab Ottone Duce Francorum natos accepimus, cum duobus aliis Brunone & Wilhelmo: ex quibus Bruno Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ papa effectus, mutato nomine, Gregorius appellatus est: Vuilhelmus factus Argentinensis Ecclesiæ Episcopus miro modo eam sublimavit. Contractus vero ad Annum 1015. *Ernustus Dux Alemanniæ in venatione ab Adalberone Comite feram appetente sagitta vulneratus interiit, & Ducatum ejus filius æquivocus: Viduam vero Giselam Conradus filius Heinrici, filii Ottonis Ducis, futurus postea Imperator, accepit.* Testes ambo majoris auctoritatis, utpote ejusdem temporis, atque coævi, quam ut ampliori confirmatione indigeant. De Ottonis patre & Salici proavo præcipua, & capitalis quæstio est.

DE PROAVO SALICI.

LVITHOLFVM, sive Luitoldum (nam & hæc quoque passim scriptoribus nomina in eadem persona variantur, an cor-

rumpuntur, ut Arnoldus, & Arnulfus, Berchtoldus, & Berchtulfus) in tabula repræsentavimus, Ottonis primi Imper. filium, ex Editha Aeduardo Angliæ rege genita. Illud enim vero modo probandum. A Luitholfo Ottonis I. Imp. filio Duce Allemanniæ, post Hermannum socerum, relictum filium, cui Ottoni fuerit vocabulum, auctor sæpius memoratus Hermannus Contractus A. 1057. ubi ejus obitum recenset: *Luitolfus dux*, inquit, *commissa pugna, Adalbertum vicit, cunctisque sibi, ubi cum regno Italiæ, subjugatis, ipse eodem anno, apud Plumbiam, immaturo obitu vitæ decessit, & magno multorum luctu Moguntiæ sepultus est: Ottone filio adhuc parvulo superstite relicto: & Burchardus Allemanniæ Ducatum accepit.* Parvus erat Otto, decedente patre, & trium tantum annorum (natum enim refert Rheginonis Continuator An. 1054.) atque ideo regendo paterno, maternoque Ducatu minus idoneus, qui ea de causa Burcardo ab avo Ottone I. Imp. commissus. Vbi vero animo, corporeque plus valuit, & Burcardus vitæ finem fecit, eidem postea Ducatus restitutus est An. 1073. ejusdem Contracti testimonio. *Burchardus*, inquit, *Dux*

Alle-

Allemanniæ defunctus, Augiæque in Capella S. Erasmi conditus est: & Otto filius Luitolfi paternum pro eo Ducatum recepit. Quod etiam Chronicon Augustanum ad eundem annum adnotavit, his verbis. *Burcardus Dux obiit, Leutolfi filius Otto regnavit in Svevia.* Imo Bavariæ quoque pauculis post annis, ab Ottone II. patruo præfectus est, Anno scilicet, Anno 978. ut ista sunt ejusdem Contracti. *Heinricus Dux Boioariæ, & alius Heinricus Dux * Augustensis quoque Episcopus Henricus rebellantes Imperatori capti, & exilio mancipati sunt, Ducatumque Bojoariæ Otto Dux Svevorum accepit.* Tenuitque utrumque Ducatum dum superfuit. Clara sunt ista, sed quæ suo quoque suffragio Ditmarus corroboret. Et Ottonem quidem filium Luitolfi, & eundem Bavariæ Ducem ostendit Libro III. cum reprehensum ab eo eumdem suum patruum Ottonem II. Imperatorem scribit, quod duellum inter Valdonem, & Geronem viros fortissimos permisisset & postea de Valdone, quod alterum interemisset, supplicium exegisset. Ait enim. *Hæc pugna*

(*) Ita restituendum ex ms. eod.

gna nulli, nisi tantum archiepiscopo Adelberto, & Theodorico placuit Marchioni, correptusque ab Ottone Bavaribrum Duce, Luitolfi filio, eodem die veniente, & à Comite Berchtoldo, quod ob tam vilem caussam tantus vir numquam damnari debuisset. Fuisse vero eundem Luitolfum Ottonis Ducis, de quo agimus, patrem, Ottonisque II. Imperatoris fratrem postea disertim memorat, cum Calabricam expeditionem refert. *Ipse autem* Imperator, inquit, *cum Ottone Duce, fratris filio Luitolfi, ad urbem Tarentum, quam Danai jam præsidio munitam obtinuerunt, festinavit, eamque viriliter in parvo tempore oppugnatam devicit.* Periisse denique ducem Ottonem eodem bello Calabrico, Idibus Julii, auctor Lambertus ad annum 982. *Eodem,* inquit, *anno Imperator valde periculosum habuit prælium cum Sarracenis in Calabria, in quo prælio occisus est Heinricus Ecclesiæ Augustensis episcopus, cum aliis plurimis Episcopis, in quo etiam prælio Idus Julii occisi sunt milites fortissimi, hi scilicet, Vdo, Gebehardus,* *Gun-*

3. Idus Jul. factum hoc prælium funestum notat Ditmarus lib. 3.

Guntherus, Berchtoldus, cum aliis multis, & Otto Dux, atque Werner abbas Fuldensis. Ipse Imperator, vita comite, vix evasit. Ex quibus colligas in acie cum aliis cecidisse Ottonem. cod. l. 3.

Attamen evasisse cum ipso Imperatore scribit Lamberto antiquior Ditmarus. Numeratis enim, eadem mala pugna, interfectis, subjungit: *Imperator autem cum Ottone Duce præfato, ceterisque effugiens ad mare venit.* Præmissum etiam ab Imperatore ad conjugem, ut suam incolumitatem & adventum annunciaret, idem postea testatur. Defunctum tamen hoc anno, sed, ut videtur, morbo, notavit Hermannus Contractus, qui eodem similiter narrato prælio, addit, *Ipso anno Otto Dux Suevorum, & Noricorum obiit & post eum Cunradus dux Allemanniæ factus est, Heinricusque Ducatum Boioariæ recepit.* Item chronicon Augustanum, eodem anno. *Otto imperator apud Calabriam, occiso exercitu suo à Græcis & Sarracenis, de navi exiliens aufugit, & Otto dux obiit,* Cunradus successit. Revocatum vero ab exilio Heinricum, & Boioariæ restitutum, Veronensi conventu, testatur quoque Ditmarus, sed anno se-

 quenti.

quenti. Atque hæc quidem ita ſe habent. Sed fors fuat, qui cum negare non poſſit, Luitolfo natum iſtunc ipſum Ottonem, tamen haut ſatis certo inde adſeri contendat, fuiſſe eundem Heinrici patrem, & conſequenter avum Salici Conradi. Pauſa paulliſper quisquis es, &, aures vacivæ ſi ſunt, animum advortito. Faciam perinde intelligas, atque meridie lucere ſolem. At tibi jam primo conſtare ex Wipone credo, Heinrici inter alios fratrem, & Salici ideo patruum fuiſſe Brunonem, qui Ottonis III. optimi Imperatoris ſuffragio, Gregorius V. Pont. max. At hunc Brunonem eodem hoc Duce Ottone generatum te quoque ſæpe jam in teſtimonium advocatus, utrique & coævus, & propinquus Ditmarus edocere poteſt. Ejus verba, ne longius petas, infra poſita ſunt. *Rex natale* Lib. 4. *Domini in Colonia fuit; & pacificatis omnibus in his regionibus ad Italiam diu deſideratus perrexit, & in urbe Papia paſcale peregit feſtum. Dehinc Romam veniens glorioſe nepotem ſuum Brunonem Ottonis filium Ducis in locum Joannis papæ nuper defuncti cum omnium laude præſentium conſtituit.* Nepotem vocat haut ſane omnino pro-

proprie, sed respectu gradus unius inferioris: sive aliud, quo uteretur in ea re vocabulum non suppeteret. Vt enim non modo liberis genitos, sed etiam fratribus in nepotum numerum referre mos obtinuit: ita patruelium filios eodem habere ordine ratio, an necessitas suasit, ut nepotum nomine plerique etiam contineri voluere pronepotes. Imo per ea tempora, & post illa etiam invaluit, ut omnes gradus superiores laterales avunculorum nomine exprimerentur, uti inferiores nepotum. Brunonem Ottonis Ducis filium etiam Contractus tradit Anno 997. quo scilicet Pontifex renunciatus est. *Otto rex subactis rebellibus Italia, Romaque potitus est. Et Gregorius V. qui & Bruno, filius Ottonis Ducis, papa* 142. *ordinatus & Otto ab eo Imperator coronatus.* Ottonem vero alium, quam Luitolfi filium neminem hactenus memoravit Contractus, cujus memoria recensior esset, & Brunonis pater esse posset, quem proinde indicandum magis, quam explicandum duxit. Petrus Damiani horum & ipse prope æqualis *Gregorium Pontificem Ottonis III. Imper. utique consanguineum* vocat, uti & Glaber Rudolfus.

Epist. ad Cadaloum antip.
Lib. I. c. 4.

Non aliunde quam ab istoc ortu. Dux Otto certe, in ea quam fecit, fundatione Monasterii Grevenhuse, in Vosago, & Diœcesi Spirensi, tres tum se habuisse filios, iis quibus supra nominibus, ostendit ipse documento. Gulielmum præteriit, sive nondum natus esset, sive ea ætate, ut ejus assensum haut recte requireret. Documenti principium, & finis est. *Noverit tam modernæ ætatis astipulatio, quam futuræ posteritatis successio; Qualiter ego Otto Dei gratia dux animæ meæ, parentumque meorum saluti prospiciens, svadente Juditha conthorali mea, cum adsensu trium filiorum meorum Heinrici, Brunonis, Cunonis, & hortante & annuente II. Ottone Imperatore, pro amore summi Regis, & sancti Lamperti martyris, in loco, qui vocatur* Grevenhuse, *super litus fluvii Spiræ, in nemore Wasgeu, in pago Spiræ, Oratorium construxi, hac scilicet constitutione, ut monasticæ vitæ religio secundum regulam S. Benedicti ibidem stabilitate perpetua perseveret, suaque libertate, familia, & locus cum universis ad ipsum contraditis, & contradendis subsistat, & qui profectior ætate in mea cognatione*

tione fuerit, is advocatus habeatur, ad defendendum ab injuria familiam & locum, Nec tamen ipsi ex aliquo seculari vitæ, aut constitutione servitium, aut refectionem abbas, aut familia dare compellatur; solummodo institutis monasticis abbas sollicitus reddatur. Si vero locus â quovis pro beneficio alicui præstatur, præstantis pariter, & accipientis nomen de libro vitæ, & de cœlesti Hierusalem deleatur. Dedimus tunc & confirmavimus ad eumdem locum silvestrem, Marcam &c. Facta est autem chartula hujus traditionis Anno Incarnationis Domini 977. Indictione 6. Imperante Ottone II. *Stabilita vero sunt in publico mallo qui dicitur Lintranus Forst, in præsentia Hugonis Comitis, aliorumque tam nobilium, quam aliorum boni testimonii hominum.* Eadem prope serie utitur scriptor genealogiæ, S. Arnolfi, auctor haut quaquam omnino recens, & multo melior, & accuratior, quam nonnulli, qui supra vulgum sapere videntur, judicant. Vtinam incorruptus & integer exstaret, scilicet egregiam multis illustribus familiis præluceret facem. Ceterum ita scribit, *Otto Im-*

Lutern Vorst.

*Imperator frater Brunonis Coloniensis episcopi, & Heinrici Ducis, genuit Hudicam *, & Ottonem* II. *Imper. fratres. Horum Hudica * genuit Ottonem Ducem. Otto Henricum, & Cunonem fratres. Horum Heinricus genuit Conradum Imperatorem. Hic genuit Heinricum III. Imper. & Lidulphum fratres.* Corrupte inibi scriptum *Hudica*, vel *Judica* pro Luitolfo, aut Luitoldo. Postremo Cunradum Salicum, & ejus filium, & successorem Heinricum III. ex Ottonis I. Imp. stirpe oriundos, tam certum, manifestumque arbitratur Berno, Augiæ abbas, vir illustris, & prosapia, & eruditione, ut neque de ea re dicendum, aut in dubium revocandum putet. Ita enim dedicationem suorum, quæ ad eumdem Heinricum III. Imp. misit, operum auspicatur, & prosequitur.

Domino meo Regum invictissimo Heinrico, *ac triumphatori gloriosissimo, Bern, licet vile Dei matris mancipium, debitæ servitutis officium, & perennis vitæ bravium sempiternum.*

Veterum satis declarat auctoritas, quod hi, qui nunc Reges dicuntur, olim, ob crudelem morum ferocitatem, tyranni vocabantur. Sed crescente sacræ

relli-

relligionis studio, Reges appellati sunt, à recte regendo, dum bestiales motus comprimunt, & per discretionis vim se rationales ostendunt. De his Dominus dicit, Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes exstiterunt, & non cognovi. De istis vero: Meum est consilium, & æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo, per me reges regnant, & conditores legum justa decernunt; per me Principes imperant, & potentes justitiam decernunt. De quorum numero indubitanter existitis, qui ex avitis progenitoribus tam religiosam, quam nobilem genealogiæ lineam ducitis. Nam ut in veracibus annalium libris scriptum reperimus, Ansgisus filius S. Arnolfi Mettensis episcopi, Beggam sororem S. Gertrudis virginis duxit uxorem, de qua genuit Pippinum Ducem, & Seniorem, avum videlicet Pippini Regis, qui fuit Pater Karoli Magni regis & Imperatoris. Ex quo per generationes generationum Stemma pervenit ad quemdam Hludovicum regem nobilem Francorum, qui pater extitit Lotharii regis, & Karoli Ducis. Cujus Hludovici filiam Chunradus Rex Burgundionum duxit uxo-

uxorem, de qua genuit vestram aviam, matrem videlicet Gisilæ divæ memoriæ, Imperatricis, matris vestræ. De patris vestri Chunradi Imperatoris prosapia, non adeo est dicendum, cum pateat cunctis, quatenus ex generoso Ottonis Augusti Cæsaris germine genus ducitis. De talium parentum propagine, quia nascento in hunc mundum venistis, radicis pulcritudinem, quasi in virgulto, retinetis, dum tantos patres moribus, & vita incessanter repræsentatis. Et ut magis divinum quoddam repetam, per Sapientiam Salomonis & per fortitudinem Davidis regis scitis Parcere subjectis, & debellare superbos. Testantur hæc Bohemia, totaque gens Slavonia, Vngaria, Burgundia, omnisque Italia, & cunctæ in circuitu nationes, quas vel consilio sapiente subjecistis, vel ferro fortiter perdomuistis. Hæc, & quæ consequuntur Berno, quæ eo lubentius inserui, quia nondum in lucem, usumque ab alio communicata, & inde etiam Gisilæ stirps, & origo ab Carolo Magno multo exactius, & clarius deducta, quam explicavit Wipo: & brevius, certiusque, quam quisquis ille poetaster fuit, qui linea quarta decima

cima conſtituit, & terminavit. Sed ab iis, ceterisque, id pariter, quod nos jam quidem cupimus, ſatis luculentum, & probatum ducimus, Cunradum Salicum patrem habuiſſe Henricum, avum Ottonem, proavum Luitolſum, & abavum Ottonem I. Imp. Auguſt. erroremque errare, qui antea, & nuper etiam, aut Ottonum in tertio Imperatore ſtirpem defeciſſe ſcriptis perſuadere conati ſunt: aut aliude, & diverſo Stemmate Salici familiam derivavere. In prioribus quidem verſantur ſcriptores, quos viderim, univerſi, & inter eos Annalium Eccleſiæ conditor illuſtriſſimus: At in poſterioribus quoque plerique omnes, ſed clarioris, ut multi credunt, nominis Joannes Cuſpinianus, & rerum Bavaricarum ſcriptor Abuſianus. Et iſte ſane patrem conſtituit, avumque Salici eosdem, quos ſupra memoravimus, proavum Cunradum Ducem Ottonis M. Imper. generum, qui Hunnico bello deſideratus eſt. Ab eodem quoque fonte Cuſpinianus, ſed longe diverſa procreatione. Salici enim patrem vult Hermannum fuiſſe Franconiæ Comitem, avum Cunonem, proavum Ottonem etiam Franconiæ Comitem, abavum Cunradum eumdem, de quo diximus, generum Ottonis Ma-

Magni, Franconiæ Ducem. Qua quidem in ſerie, quot nomina, tot prope aberramenta, ut ex Wipone paret, & ſuperius explicatis, ut ne alia quoque confutatione res indigeat. Scilicet purgatum naſum habeat neceſſe eſt, quisquis genealogiis digerendis manum admovet, aut hiſtoriis recenſendis. Cunrado illi Ottonis genero liberi an fuerint ſuperſtites non facile putarim vetuſtis ex ſcriptoribus poſſe firmari. Et diligentem operam feci perquirendis. Neque me tamen fugit eſſe, qui tribuant, Theodericum quidem Alſatiæ Comitem, â quo, ut eorumdem opinatio eſt, Egesheimenſem. Ejus Ducatum poſtquam, pugna apud Auguſtam cum Hungaris pugnata, cecidit, Bruno archiepiſcopus Colonienſis, Ottonis M. frater accepit, Sigeberto teſte. Quamvis exerret annis deputandis. Non enim interfectus Anno 957. Sed An. 855. quo ei pariter ſucceſſor datus, ut diximus, Bruno. Niſi adſentiri malimus Continuatori Rheginonis, qui Brunonem notat, Anno 953. Vigfrido archiepiſcopo ſucceſſiſſe, *& totius Lotharienſis regni Ducatum, & regnum cum epiſcopatu ſuſcepiſſe*, vivente quidem Cunrado, ſed in rebellione. Poſtquam Bruno & ipſe obiit, id accidit

An.

An. 965. 5. Idus Octobris Anno ſequenti, Imper. Otto *Coloniæ natalem celebrans cuncta ibi Lotharienſis regni negotia, pro ut ſibi videbatur, diſpoſuit* continuatore eodem teſte. Dederat vero Lotharingiæ Ducatum Cunrado ſocer Anno 843. vel 944. poſt mortem Ottonis Ducis ex vetuſtiſſimis Lotharingiæ principibus oriundi, & Giſelberti, qui cum ampla poteſtate eidem provinciæ præfuerat, ex fratre Richvino nepotis. Ipſum Cunradum vocat Continuator Rheginonis Werineri filium. Sed jam Cunradi Salici poſteros quam pauciſſimis oſtendamus. Noti enim ferme, & indubitati.

DE POSTERITATE CUNRADI SALICI.

ILlum habuiſſe HENRICVM, qui in imperio ſucceſſit tertius nominis, & filiam BEATRIGEM præter ſororem JVDITHAM, & patruum, aut, ut ipſe vocat, avunculum, CVNRADVM Ducem, cui MATHILDA fuerit conjux denique & patrem HENRICVM demonſtrat ipſe diplomate, quo Affalterbach Veteraviæ pagum Eccleſiæ Vormatienſi

S tra-

tradit (a), cujus ſubjecta eſt copia. *In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Cunradus, divina favente clementia, Romanorum Imperator Auguſtus, omnium ſanctæ DEI Eccleſiæ noſtrique fidelium præſentium ſcilicet, atque futurorum ſciat univerſitas. Qualiter nos per amorem DEI & ſempiternam memoriam noſtri, & dilectæ conjugis noſtræ Giſilæ Imperatricis & filii noſtri Heinrici Regis, filiæ quoque noſtræ Beatricis: immo etiam pro remedio parentum noſtrorum avunculi noſtri Ducis Conradi, ejusque Conjugis dignæ memoriæ Mathildis, ſororis etiam noſtræ Judithæ, S. Petro in Vormatia, per voluntatem, & aſſiduam ſervitutem Azzechonis ejusdem ſedis epiſcopi venerabilis donavimus, & delegavimus prædium quodcumque in Affalterbach viſi fuimus habere, ſitum in Pago Wettereiha, in Comitatu Ottonis Comitis, cum omnibus ſuis appendiciis, terris cultis, & incultis, pratis, campis, paſcuis, vineis, areis, ſilvis, aquis, aquarumque de-*

(a) Vid. P. R. Schannati Codex Probat. Hiſtor. Wormac. pag. 52. n. LVI. ubi denuo editum hoc Diploma.

decurſibus, molis, molendinis, piſcationibus, venationibus, utriusque ſexus mancipiis, exitibus, & reditibus, ſeu cum omni utilitate, quæ ſcribi poteſt, vel nominari, eo ſcilicet tenore, ut ad altare, in eadem Eccleſia, in qua corpora prædictorum requieſcunt, pia voluntate conſtructum, & in honore S. Crucis dedicatum, pro animabus illorum miſſa ſingulis diebus celebretur, & idem lumine ſemper illuminetur: patris etiam noſtri Heinrici dies anniverſarius vigiliis, & eleemoſynis, miſſarumque ſolemniis animarum in memoriam revocetur, fratribus quoqae ibidem Deo, & S. Petro ſervientibus, ſervitium quod illorum eſt conſuetudinis in eodem die tribuatur. Si quis autem quod minime credimus, hanc noſtram traditionem in aliquo infringere temptaverit, DEO, & omnibus Sanctis rationem inde reddat, & ſupplicium ſempiternum poſſideat. Hæc vero noſtra auctoritas. ut ſtabilis, & inconvulſa omni jure ſuo permaneat, chartam hanc inde conſcriptam manu propria ſubtus, firmavimus, & ſigillo noſtro inſigniri juſſimus. Datum III. Kal. Feb. Indi-

ctione II. Anno Dominicæ incarnationis. M. XXXIV. Anno autem domini Conradi ſecundi regnantis X. Imperantis vero IX. Actum Vormatiæ feliciter. Avunculum Conradum Ducem vocat, ut prædiximus, qui patruus exſtitit, ut multi ſcriptores alii, qui duo ea vocabula in promiſcuo habuere, ut etiam hodie Galli ſuum *oncle* ab avunculo formatum utrique tribuunt. Juditham, cui collocata fuerit, nondum certo reperi. Nam qui Richardo, Gerardi primi Egesheimenſis Comitis filio traditam volunt, haut mecum ſentiunt. Primo quia conſobrini fuiſſent, & qui argumentum putant, quod ſcriptores quidam nominaſſe reperiuntur Gerardum 2. Richardo eodem, ut volunt, genitum, Conradi Salici nepotem, non ſatis pervidiſſe videntur, quam late id vocabulum nepos ſumatur, & uſurpetur vetuſtioribus, quod ſupra etiam tetigimus. Sepulta eſt Juditha Vormatiæ æde S. Petri, ante fratrem. At Beatrix ea fuit, quæ Bonifacio Tuſciæ Marchioni nuptui data, Mathildam illam glorioſam peperit, vixitque ad annum 1076. inſigni, una cum filia, per Italiam potentia, & claritate. Aliam memorat Salici filiam Mathildam Wipo, quæ Henrico Gallia-

rum

rum regi promissa, vitam ante nuptias exuit, Anno 1033. & Vormatiæ sepulturam accepit. Addit Joannes Tilbius tertiam Berchtam, quæ Eudonis Blesensis Comitis in conjugium venerit. Narrat & magni chronici Belgici Collector, de Heinrici 3. sorore sanctimoniali lepidam historiam, si veram. Nam idem facinus Caroli Magni filiæ, & Einhardo historico alii adtribuunt. Luitolfi alterius Salici filii solus, quod sciam, Genealogiæ S. Arnolfi auctor meminit. Cunrado Imperatori cognomentum Salici indiderunt posteriores, non enim Wipo, Berno, aut Glaber Rudolfus omnes æquales, & duo priores etiam aulæ familiares, ex Salsburgo arce ad Salam Franconiæ fluvium sita, in qua genitus sit, aut plerumque habitarit. Ea arx inter illas una est, quas Feudorum magistri Ganerbicas vocant, trito magis, quam scito vocabulo. HEINRICO III. duæ fuerunt uxores. Prima Chunilinda, alii Chunigundam vocant, Gnutonis Angliæ, Daniæ, Sveciæ regis filia, quam duxit An. 1033. amisit in Italia peste An. 1038. & Linburgi monasterio â patre condito sepelivit, unius puellæ matrem, quam pater sanctimonialibus antistitam præfecit. Ex Agnete Gulielmi Pictavorum

vorum Ducis filia, Gulielmi ſorore ſecunda conjuge natus HEINRICVS IV. An. 1050. Contracto teſte, ſive qui ad ejus Chronica, addidit, & CVNRADVS, qui ejusdem teſtimonio, in lucem venit An. 1052. Atque ille quidem â patre Cæſar factus, & Aquisgrani An. 1054. unctus, per multos labores Imperio præfuit annos prope quinquaginta: Iſte Dux Bavariæ, obiit, eodem, quo pater, anno. Filiæ fuerunt MATHILDA quæ matrimonio Conjuncta Rudolfo Comiti Rhinfeldenſi, ex eo matrimonio Dux Allemanniæ A. 1059. obiit ſequenti. SOPHIA, quæ nupſit Salomoni Vngariæ regi Andreæ filio. Alii JUDITHAM vocant dubito an rectius. Recenſentur â nonnullis etiam Giſela, & Adelheid ſanctimoniales, de quibus nihil habeo adfirmare. HEINRICO IV. duæ quoque uxores exſtitere. Praxedis ſecunda Ruſſorum regis filia, vidua Vdonis Marchionis, non peperit, ſed immanibus ab eo injuriis adfecta tandem in patriam aufugit, ubi monaſterium ingreſſa ſanctimonialibus præfuit. Berchta prima, filia Ottonis Marchionis Montisferrati, genuit CVNRADVM anno 1071. 2. Februarii, qui Cæſar â patre renunciatus, ante ipſum vita migravit, Florentiæ ſepultus. Anno

1101.

1101. De quo iſta memorabilia Monachus Schwarzahenſis coævus. *Teſtari ſolent, qui aderant, in brachio corporis exanimi crucis ſignaculum ſubito exortum ſe vidiſſe ipſasque ejus exſequias quibusdam miraculis honorificatas fuiſſe.* HEINRICVS natus anno 1081. ſucceſſit in regno & Imperio, nominis V. & ultimus hujus ſtirpis. Neque enim uxor Mathilda, filia Heinrici I. Angliæ regis ipſi peperit, ſicuti fecit, marito ſecundo Gotfrido Andegavenſi Comiti. Sorores habuit AGNETEM, quam â patre Friderico Comiti ab Stauffe, poſtea & inde Sueviæ Duci collocatam; ipſe viduam Leopoldo Auſtriaco matrimonio junxit: & aliam, quam Ptolemæo Tuſculano Comiti, Ptolemæi Romani cos. F. Gregorii N. teſte Petro Caſſinenſi. Hæc, ut prædiximus, de Salici minoribus, jam quidem per occaſionem, & Stemmatis explicationem, quam breviſſime. Cætera ad ipſorum Cæſarum, & Imperatorum vitas paullo pluribus.

DE CVNRADO DVCE CARINTHIÆ SALICI PATRVO, ET EIVS POSTERIS.

Sed de Conrado Salici patruo, quia ibidem non ita locus opportunus forte ſit, jam abſtinere calamum nequeo, quin nonnulla adjiciam. Wipo Cunonem vocat, ut & pater Otto Grevenhuſiana, ut oſtendimus, fundatione: Cunradum Contractus & alii. Tenuit Ducatum Carinthiæ. Neque tamen morte ad filium tranſtulit. In cauſſa fuit, quia minor erat ætate, quam moderari poſſet. Igitur poſtquam eſſe deſiit an 1012. Ducatus Adalberoni Comiti datus eſt ab Henrico II. Teſtis ad illum annum Contractus. *Conradus*, inquit, *Dux Carentani*, *filius Ottonis Ducis*, *fraterque Brunonis dudum papæ obiit*, *&*, *privato filio ejus puero Cunrado*, *Adalbero Ducatum accepit*. Vxor illi Mathilda, ut ex ſupra nominato ſæpius Wipone conſtat, & Salici ſupra etiam expoſito documento, neptis ex filia Conradi Burgundiæ regis. Sed ex qua filia dubitat animus. Tres habuit rex Cunradus Gerbirgam, Berchtam, & Giſilam. Prima nupſit Her-

manno

manno Alemanniæ Duci, peperitque filium patri cognominem, & in Ducatu successorem, itemque Gisilam Conradi Salici Imp. uxorem, & duas alias filias. Berchtam Otto Campaniæ, sive Carnutum Comes duxit, ex qua Otto junior, qui cum Salico pro regno Burgundiæ bellum gessit. Denique Gisila Heinrico 2. Bavariæ Duci Heinrici I. filio conjuncta. Hæc genuit S. Heinricum 3. Bavariæ Ducem & I. Imp. Arnulfum archiepiscopum Ravennatem, Brunonem episcopum Augustanum, Giselam Stephani regis Hungariæ uxorem, & tres alias, ê quibus una locata Hermanno Comiti, teste Ditmaro, aliis aliæ, quorum maritos idem Ditmarus usurpative Heinrici Imp. *generos* vocat. Qui Lib.6. &7. fuerint omnes, non item explicat. Atque ex harum Bavaricarum, inquam, una, natam Mathildam potius crediderim. Nam Campaniæ Comitem ex Berchta præter filium, de quo memoravimus, nihil sustulisse auctor est Genealogiæ S. Arnulfi, qui alias in fæminarum recensione, & ex iis procreatis diligens supra opinionem & frequens, cui adsentit Rudolfus Glaber. Et si ex Hermanni Alemanniæ Ducis conjuge nata fuisset; nempe Gisilæ Salici uxoris soror exstitisset.

Quod neque ignoravisset Wipo, neque tacuisset. Nupsit Mathilda secundo Friderico Lotharingiæ Duci testimonio ejusdem Wiponis. Sepulta est Vormatiæ cum priore marito, æde S. Petri ante altare S. Crucis, familiæ monumento. Sed ultra vehamur. Genuit ea ex Duce Cůnrado, Brunonem Virceburg. episc. & Conradum, quem Wipo Cunonem nominat, & vulgus juniorem ad discrimen Salici patruelis, ut ante ostendimus, ætate provectioris. Mansitque inter eos, concordia dum opes, & dignitas in æquali fuere, & senioris etiam auxiliis junior prælio Adalberonem, qui paternum Ducatum retinebat, superavit. Auctor Contractus, an. 1019. *Conradus Adolescens*, inquit, *filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele suo Cunrado, postea Imp. Adalberonem, tunc Ducem Carentani apud Vlmam pugna victum fugavit*. Sed ubi de regia dignitate post Henrici II. obitum, per faventium dissensionem, & Ducum ambitionem certamen incidit, &, prævalente factione, Salicus obtinuit: tum vero statim junior ad ejus rebelles Ernestum Allemanniæ Ducem, & Velfonem Comitem tertius accessit. Et cum tandem sponte deditionem

nem fecisset, *in exilium nihilominus missus est*, inquit Contractus anno 1027. Wipo, *liberis custodiis aliquantulum castigatum* & brevi in gratiam receptum, atque honoribus redditum tradit. Postremo etiam paternum Carinthiæ Ducatum ab eodem Salico recepisse, cum Adalbero majestatis condemnatus excidisset, testatur idem Contractus an. 1036. Vocat vero etiam Wipo *Ducem Vormatiensem*. Non quod sane Vormatiensis ditio, & regio umquam Ducatum habuerit, inter Comitatus enim recensetur, sed qnia nactum à patre, & Carinthia Ducis titulum, eo Cunradus adportarit, & vulgus inde suo more nominaverit, sive in ea ferme habitaret, aut pleraque circum loca ab majoribus accepta possideret. In Comitatibus numeratum Vormatiensem, sicut & Spirensem, testimonio sunt Ottonum diplomata. Vnum Ottonis II. ad D. Maximini datum, quod quidem ad hanc rem pertineat, est ejusmodi. *In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. Noverit.* &c. *qualiter venerabilis abbas Thietfridus S. Maximini.* &c. *piissimi genitoris nostri Othonis Imperialem Ravennæ adierit clementiam*, &c. *cujus petitionem benigne suscipiens*, *tum*

tum quidem distulit: hanc tamen, si felici successu in patriam reverteretur, se completurum promisit, sed voti ejus effectum mors interveniens impedivit. Nos igitur imperii, & voti successores, ad eleemosynam prædicti genitoris nostri; & propter interventum dilectissimæ genitricis nostræ Adelheidis, conjugisque nostræ Theophaniæ, fidelisque Comitis nostri Berchtolfi, petitioni abbatis annuimus. Igitur. &c. *reddimus illis quidquid prædictus Confessor* (S. Maximinus) *in pago, & comitatu videlicet Nahgovve, & in pago, & Comitatu Vormatiensi, & in pago & Comitatu Spirensi habere dignoscitur. Signum domini Othonis imp. August. Wiligisus cancellarius vice Rodberti Archicapellani notavi. Datum 6. Kal. Septembr. Anno regni Domini Othonis* 13. *Imperii* 6. *Actum Franconovuort.* Repetit, iisdem pene verbis, Otto III. anno 992. Obiit dux Cunradus anno 1039. Notavit Contractus. Eodem scilicet, quo Imp. Salicus. Liberos reliquerit, haut pro certo habeo. Videtur tamen. Et Cunradum, quem Heinricus 4. eodem Carinthiæ Ducatu donavit ann. 1057. & cognatum Cæsaris nominat Lam-

Lambertus, non alium, aut alia ex origine. Neque tamen diu potitus eſt. Imo præter nomen inde illi haut quidquam magni fuit. Demonſtrat Supplementi ad Hermannum Contractum auctor, qui ita de eo, a. 1060. quo exceſſit. *Conradus, qui Carentanis ſolo nomine Ducis præfuit moriens locum dedit.* Accepit vero tum Carinthiam Berchtoldus Comes Zeringiæ, cognomento Barbatus, & ex ea quoque Ducis titulum, quem ad poſteros ſolum transmiſit, cum neque ipſe, neque illi alias in Carinthia dominium obtinuerint. Sed & eumdem Ducatum Zeringio abſtulit idem Heinricus 4. & Marquardo propinquo ſuo dedit, ut Lambertus tradidit. Quæ res apud me opinionem excitavit fuiſſe & Marquardum ipſum Cunradi, qui ante Zeringium præfuit, filium. De eo idem Lambertus, & alii. Fratres ei quoque ſcribuntur Luitoldus Marchio Iſtriæ, & Vldaricus, quem idem Heinricus 4. S. Galli abbatem creavit, & denique Aquilejæ Patriarcham. De quibus haut dicendi locus.

Atque iſta modo ſub manu fuerunt de CVNRADO SALICO, & ejus origine. Quæ ſi tibi, FRIDERICE PRÆSTANTIS-

TISSIME, probabuntur merito gaudeam. Si quidem ea demum veriſſima laus eſt, quæ â laudatiſſimo communicatur: Neque vanum, aut parvum eſt operæ præmium placuiſſe illi, qui ſummis placet ipſe terræ Principibus. Vtcumque libuerit, meæ ſane in te obſervantiæ, hoc tamen interim ad poſteros teſtimonium erit.

(o)

CON-

CONRADI II. IMPERATORIS SALICI CONSTITUTIO

DE

BENEFICIIS.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Cunradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus omnibus Sanctæ DEI Ecclesiæ fidelibus, & nostris, tam præsentibus, quam futuris, notum esse volumus, quod ad reconciliandos animos 2. *seniorum, & militum, ut ad invicem semper reperiantur concordes, & ut fideliter* 3. *nobis, & suis* 4. *Senioribus serviant, & devote, præcipimus, & firmiter statuimus, ut nullus miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Marchionum, vel Comitum, vel* 5. *hominum, qui beneficium de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prædiis nunc tenent, aut tenuerint, aut hactenus injuste perdiderint, tam*

tam de nostris 6. majoribus valvasoribus, quam eorum militibus, sine certa, & convicta culpa, suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum, & judicium 7. parium suorum.

Si contentio emerserit inter seniorem, & militem, quamvis pares judicaverint illum suo beneficio carere: & ille dixerit, hoc injuste, vel per odium factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior, & ille, quem culpat, cum paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi caussa juste determinetur. Senior vero, & miles, qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas antequam iter incipiat, cum quo litigaverit, innotescat. Hoc autem de majoribus valvasoribus observetur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante Seniores, aut ante missum nostrum eorum caussa finiatur.

Præcipimus etiam aut 8. si aliquis miles, sive de majoribus, sive de minoribus & de hoc seculo migraverit, filios ejus beneficium tenere: Si vero filios non habuerit, & 9. aviaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo bene-

beneficium habeat, servato usu majorum valvasorum, in dandis equis, & armis suis Senioribus: Si vero forte aviaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris, &, si seniorem offensum habuerit, sibi vult satisfacere, & miles ejus esse, beneficium quod patris sui fuit, habeat.

Insuper & omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum 10. *cambium, aut precariam, aut libellum, sine eorum adsensu facere præsumat.* 11. *Illis vero quæ tenet proprietario jure, aut per præcepto suo porrectum libellum, sive per precariam, nemo eum devestire audeat injuste.*

Fodrum 12. *autem de Castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus: Illud vero quod non habuerunt, nullo modo exigimus.*

Si quis hanc nostram jussionem infregerit auri optimi libras C. componat; medietatem Cameræ nostræ, & medietatem cui damnum illatum fuerit.

NOTÆ AD EAM.

Constitutionem hanc vulgavit, & principem libro feudorum quinto posuit Jacobus Cuiacius, vir de Juris scientia multo amplius promeritus, quam ingrati quidam, aut ignari videri volunt. Quia tamen locis aliquam multis paulo aliter exprimunt libri manuscripti, locus admonuit, simul rei literariæ studium impulit, ut quæ variantia essent in medium proferrem, & paucula aliqua ad eamdem sive explicandam, sive illustrandam subjungerem.

1. *De beneficiis.* Liber meus ms. *De beneficiis, & terris tributariis.* At hoc postremum videtur pertinere ad leges alias, quam quod in ista de tributariis locis mentio fiat. Nisi castella, & earum territoria intelligamus ex quibus solitum sibi commeatum Imperator reservat.

2. *Seniorum.* Trita vox *Senior* feudorum, legumque Francicarum, Germanicarumque, & Longobardicarum conditoribus pro *Domino*, uti & paullo inferioris ævi scriptoribus Aimoni, Einhardo, Glabro, Bernoni, & aliis. Retinentque ex Latina, suaque, linguas qui vulgares concinnarunt

Ita-

Itali, Galli, Hiſpanique. Propius tamen ad veterem prolationem Hiſpani, qui *Sennor* quidem ſcribunt: Sed *Senior* pronunciant: Corruptius Galli; Italique. Iſti *Signor*: at illi *Seigneur* dicunt.

4. *Militum.* Per milites eos intelligi, hac in materia quibus feuda conferuntur, & beneficia, notum etiam feudiſtarum pueris. Ratio quoque nominis manifeſta, quia feudis ab primo eorum exortu militia conjuncta, adeo ut ſi ea eximatur, feudi quoque natura propria exſtingvatur. *Feudum* enim, aut, ut antiquiſſimi ſcripſerunt, *Feodum*, & *Fedum*, â *Veden* eſt, ſive *Feden* quod bellare, & bello perſequi ſignificat. Vnde & *desfidare* (quo, ut vernaculo, tres quoque de quibus ſupra dixi, nationes utuntur) formatum vocabulum, id eſt, ad pugnam provocare, & bello laceſſere. Neque recens, aut, ut plerique credunt, Friderici primi Imp. temporibus, quibus feudorum primi Doctores præcipue viguere, nata, & reperta vox, ſed jam ſub noſtro hoc Salico exercita, & in ſcriptum relata. Oſtendit hoc ex Sanctione teſtimonium. *In Chriſti nomine amen. Convenit ea quæ in tempore fiunt literis manifeſtare. Vnde ego Rudolfus villicus Glaronenſis, vir libe-*

ræ conditionis, fateor me eundem villicatum, cujus proprietas cum tota valle Glaronæ, ad Ecclesiam Seccoviensem spectat, in feodum recepisse â reverenda domina Bercta abbatissa, & Capitulo ejusdem Seccoviensis Ecclesiæ, sicuti & progenitores mei viri ingenui, videlicet Vldaricus de Glarona pater meus, Joannes avus, Rudolfus proavus, & Joannes abavus hactenus â præfata Ecclesia in feodum tenuerunt, & ob id solitum juramentum eidem abbatissæ, & Capitulo præstiti, fidelitatem, & obsequium promittens, more majorum meorum, & juxta ejusdem villicationis officii æquitatem, ac debitam consuetudinem, uti probum vasallum decet, executurum. In cujus rei fidem Sigillum meum huic chartæ apposui, quæ data est quarto Kal. Aprilis. Actum vero in ipso monasterio Seccoviensi Anno Dominicæ Incarnationis 1029. Indictione 12. Providente sedem Apostolicam Joanne Papa vicesimo, regnante Conrado Imperatore, Vermanno tunc Ecclesiæ Constantiensis episcopo, & Ernesto Alamanniæ Duce inclyto. Præsentibus testibus Herm. de Vezzenberch nobili, Rudolfo de Bilstein,

ſtein, Arnoldo de Mandach liberæ conditionis, vaſallis Seccovienſis Eccleſiæ, Berchtoldo plebano in Lauffenberg, & aliis quam pluribus. Vbi & feudalis Sacramenti ſumma ſcite expreſſa, *fidelitate* & *obſequio.*

3. *Et ut fideliter.* Additum in ms. *fideliter & perſeverenter.*

4. *Et ſuis Senioribus.* Perfectius ms. *ſuis fidelibus ſenioribus.* Neque enim fides minus ſenioris requiritur erga Principem, quam militis in ſeniorem, quam ſi fallat ille, neque ipſe ea obſtringetur.

5. *Vel hominum.* Apage hanc vocem *hominum.* Quis enim homo ſic loquatur? lege *omnium.*

6. *Majoribus Valvaſoribus.* Qui ſint majores minoresve valvaſores diſtincte ſatis Gerardus. Sed etymum neque ipſe neque alius, quod ſciam, ſatis proprie diffinivit. Crediderim *majores* dictos, quod plenam ſui feudi habeant poteſtatem, & adminiſtrationem, quod adeo etiam ad alium transferre poſſint, quaſi voluueſer: *minores* (quos *milites* hic vocat Imperator) quia minorem. Nam & ipſi â majoribus ſua feuda accipiunt & in tertium, aut minimum, minime transferunt, ſed ipſis nulla prole

ſuperſtite, decedentibus, feudum ad eum, â quo acceperunt, revertitur.

7. *Parium ſuorum.* Dicuntur *pares* propritim, qui ab eodem domino ſua feuda habent. Atque hi iidem, orta inter dominum, & vaſallum ſive beneficiarium controverſia, inter utrumque judicant. Neque alia origo, & ratio Franciæ Parium de quibus plenæ Francorum hiſtoriæ. Illorum enim præcipuum ab initiomunus decernere de rebus inter regem, & principes, ſive quoſcunque diſſidentibus. Eosdem *Patricios* nominandos Budæus cenſebat, quaſi *Communes patriæ patres*. Et pro ejus opinione manuſcriptum concordat. *Patres* enim quisquis fuit, qui perſcripſit, ferme repræſentat, ubi vulgo *pares*.

8. *Aut ſi aliquis miles.* ms. *ut cum aliquis ejusmodi miles* recte.

9. *Aviaticum.* ms. *abiaticum.* Melius ad hodiernam Longobardorum pronunciationem. Ita nepotem vocant *abiatico*.

10. *Cambium, & precariam, aut libellum.* Prohibet igitur Imperator ne domini beneficia ſuorum valvaſorum, aut permutatione, aut precaria, aut libello, niſi ipſis conſentientibus, alienent. *Cambium* uſita-

usitatum nunc quoque Italis pro *commutatione* vocabulum. Et de *precaria* satis multa feudorum architecti. Nominis enim notio est quod *prece* veluti eam rem, quam quis sponte in usum cultus divini contulerat, reciperet, utendam fruendam dum viveret, certa tamen, sed exigua cum pensione. Exempla passim apud monasteriorum præcipue archæa. Vnum quod in scidis meis repertum est, ita habet.

Christi favente Clementia. Salomon abba monasterii S. Galli. Complacuit nobis atque convenit una cum consensu fratrum nostrorum, ut res, quas tradidit nobis Engilboldus per hanc precariam ei præstaremus, quod & ita fecimus. Tradidit nobis præfatus homo in pago Prisigaugense in marcha, seu in villa nuncupata Wite res Wilare duas hobas cum toto ædificio, & opportunitatibus ad hoc pertinentibus, ea videlicet ratione, ut ipse, & conjunx sua habeant usque dum vivant, & censum in missa S. Galli, hoc est I. denarium persolvant, & post obitum illorum Theganhart Præpositus habeat, quousque vivat, atque post discessum ipsius ad præfatum monasterium revertantur.

Has itaque præfatas res, sicut ibidem cernitur illi concessimus, cartam precarii scribere postulavimus. Si quis vero contra hanc cartam precarii aliquam fraudem temptaverit agere, iram DEI sentiat, & ad ærarium regis multam persolvat, id est auri uncias tres, argenti pondera V. & hæc charta precarii firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa, &c. Anno Incarnationis Domini DCCCCVIIII. *regnante Ludovico rege anno X.* Ex quo etiam intelligimus *precariæ* & *precarii*, in promiscuo vocibus usos veteres esse & alias etiam interserere solitos conditiones, ut post hujus, aut alterius demum obitum Ecclesiæ penitus donata restituerentur. *Libelli* vocabulum etiam apud Longobardos remansit. Sic nominant eam pecuniam, quam liberis, fœminis præcipue, relligionem ingressis, præter dotem, quæ monasteriis cedit, ipsis in privas necessitates quotannis, dum vita suppetit, assignant, & impertiunt, *livello* vulgo.

11. *Illis vero, quæ tenent proprietario.* Corrupta ista & quæ sequuntur. Corrige & totum paragraphi ambitum rescribe. *Illa vero quæ tenent proprietario*

GISILÆ AVGVSTÆ CVNRADI SALICI CONIVGIS GENEALOGIA A CAROLO M. IMP.

Carolus M. Imp. I.	Hildegardis Sveva uxor ſecunda.
Ludovicus Pius Imp.	Juditha ſecunda conjux Bavara.
Carolus II. Imp. rex Franciæ, Calvus.	Hermentruda.
Ludovicus II. rex Franciæ Balbus.	Adelheid.
Carolus III. rex Franciæ Simplex.	Oginia Angla.
Ludovicus III. rex Franciæ Transmarinus.	Gerbirga Saxona.
Mathilda ſoror Lotharii regis Franciæ penultimi.	Conradus rex Burgundiæ.
Gerbirga ſoror Rudolfi regis Burgundiæ ultimi.	Hermannus dux Alemanniæ.
Giſila.	Cunradus II. Salicus ſecundus maritus.

Heinricus III. Imp.

